L. CAELII LACTANTII FIRMIANI DE MORTIBUS...

Lucius Caecilius Firmianus Lactantius, ...

L. CÆLII LACTANTII
FIRMIANI
DE MORTIBUS PERSECUTORUM
LIBER SINGULARIS AD DONATUM CONFESSOREM

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.



ROMÆ, cIↃ.IↃCC.LIX.
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI
IN ÆDIBUS DE MAXIMIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Omnes, qui prosequuntur justos, graviore damno feriuntur, & graviore parnicie affliclantur. S.Aug. Conc. II. in Psalm.XXXVI.

Em̃o, & Rm̃o Principi

LUDOVICO

CARDINALI

DE VALENTIBUS

EPISCOPO ARIMINENSI.

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.
S. P. D.

UT primum universæ Urbis rumor me certiorem fecit, EMINENTISSIME PRINCEPS, in amplissimum

S.R. Ecclesiæ Cardinalium Collegium Te fuisse cooptatum, tantum lætitiæ cor, animumque meum pervasit, quantum nec capere possem, nec verbis queam pacto aliquo exprimere. Expectabam sane hanc dignitati Tuæ accessionem proxime futuram; sed nondum expertus eram quantum interest discriminis bonum inter speratum, & adeptum. Et quamquam tunc id probe novi; altera tamen quæstio statim mihi pene insolubilis mota ex intimis mentis meæ penetralibus est: nimirum magis ne mihi gauderem, an gratularer Tibi; siquidem in utram-

tramque veluti partem diſtrahi ſic equidem videor, ut minime compos ſim finire, qualis in me affectus prævaleat, quum uterque maximus appareat, totamque impleat infuſum uno hauſtu gaudium pectoris mei capacitatem. At bene eſt, AMPLISSIME CARDINALIS, me diu in hac ignoratione verſari, ex ea quippe vis illa pene incredibilis emicat amoris, atque obſequii erga Te mei, cujus perfectionis apex in eo ſitus eſſe creditur, quod unum faciat e duobus, nec alteri quicquam ita peculiare relinquat, quod non transfundat in alterum, efficiatque,

miro quodam modo, commune. Quæ quum ita ſint, Deo in primis maximas habeo gratias, atque ago; quoniam ſicuti omne datum optimum, & omne donum perfectum ab eo tamquam ex perenni fonte originem trahit, ſic illum hujuſce muneris authorem, ut par eſt, profiteri, & ut id ſartum, tectum, integrumque diu benemerenti maneat, comprecari.

Mox in CLEMENTEM XIII. P. O. M., cui fauſta omnia ex animo vehementer opto, ejuſdem officii partes humiliter, demiſſeque converto, quod ipſe antiquo, parilique virtutum, litterarum-

que ſtudio Tibi longe antea conjunctiſſimus, Te nobiliſſimæ primum Ariminenſis Eccleſiæ Antiſtitem præpoſuerit, ac tandem deinde ſacræ purpuræ ornamento non modo ſemper parem judicaverit, verum etiam, quum primum potuit, decorare etiam mirifice delectatus eſt, ut ſic arctius necterentur mutui amoris vincula, & dignitas tua ſuæ propinquior evaderet.

Demum grati animi erga Te mei internunciam hanc nuncupatoriam eſſe volui epiſtolam, in qua non de iis agam multis quidem, & magnis beneficiis, quæ in me hactenus

clementissime contulisti, pro quibus tantum Tibi debere libenter fateor, quantum nunquam possim exsolvere; sed de hac eadem honoris, atque potestatis amplitudine, quam ipse Tibi promeruisti, potissimum mihi sunt Tuis meritis peragendæ gratiæ. Tibi siquidem, tuisque assiduis in Romana Curia ab adolescentia exhaustis, perpessisque laboribus; tuæ integritati tam in jure sanctissime dicundo, quam in suffragiis æquissime ferendis; Pietati tuæ in colendorum Heroum causis ad apicem Sanctitatis sedulo exagitandis; Tuæ Religioni in Sacrosanctæ

Fi-

Fidei Catholicæ Myſteriis ab hæretica pravitate vindicandis, cæteriſque virtutibus Tuis, quas præterire cogor, acceptam purpuram iſtam tuam debemus ambo. Tu quidem tamquam honorem Tibi debitum; ego vero tamquam præſidium jampridem expectatum. Quum itaque nihil mihi antiquius eſſet in votis, quam ut aliqua effulgeret occaſio, ut animum meum, EMINENTIÆ TUÆ addictiſſimum, certo aliquo teſtimonio palam demonſtrarem, commodum accidit, ut hoc eodem tempore typis mihi committendus eſſet libellus, vere auro, gemmiſque contra

æſti-

æſtimandus, *de Mortibus Perſecutorum inſcriptus*, & jure optimo Lactantio Firmiano vindicatus, variorum commentariis excultus, meiſque curis caſtitati, nitorique ſuo reſtitutus; ideoque occurrenti opportunitate uſus, eum Tuo clariſſimo nomine fulgentem, Tuo patrocinio illuſtriorem reddere geſtio, quum illum Tibi & in tutelam trado, & ad immortalem poſteritatis memoriam prodo Tuam erga me incredibilem beneficentiam, & meam erga Te maximam devotionem. Quicumque enim hiſtoriæ Eccleſiaſticæ operam dare volunt, ex hoc Lactantii

mo-

monumento facem anteferendam accendere omnino debēt, nisi iisdem erroribus capi velint, quibus plurimi, eo non consulto, irretiti remanserunt: istos propterea omnes meæ voluntatis testes appello, dum unum hoc pro Tua in me humanitate rogatum volo, ut neque tantæ dignitatis amplitudo, neque maximarum rerum moles, cui ferendæ caput, & humeros offers, ullo unquam tempore mei memoriam intercipiat, qui Te posthac si non magis, aut firmius amare potero, equidem religiosius, ac reverentius colere nunquam desinam. Optime, demum rogo

go, ut valeas, & interminam Tibi felicitatem indesinenter adprecor, & exposco.

Dabam ex Collegio S. Mariæ de Victoria Urbis hac ipsa die, quæ est Tibi natalis ad Purpuram VIII. Kalend. Septembr. MDCCLIX.

FR.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH

Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem Sacri Montis Prior.

TEnore præsentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Francisco Xaverio Sacerdoti Professo Provinciæ Nostræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum notis, & Dissertationibus suis a duobus e nostris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu nostro SS. Theresiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joseph.
Præpositus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

DIvinarum Institutionum Libros septem a Caelio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, styloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehensos, post tot editiones ab aliis exornatos, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Discalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquisitionis Censores adscitus, notis auctos eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in septem tomos distinctos: quos Jubente Reverendissimo Sacri Palatii Apostolici Magistro Patre Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem usque sedulò lustravi, attentèque inspexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adversetur Catholicæ, bonisque moribus sit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi se offert occasio, clarissimus Author Veræ Fidei inconcussa dogmata, atque Sanctæ Ecclesiæ vetustos ritus vindicat, ac tuetur, a deliriis, & imposturis Heterodoxorum, quos sic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo si in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad justam Fidei regulam non sit exactum, vel a Fide ipsa exorbitet, fatetur aperte, asseritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapsum, eumdemque errasse in libro inscripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorsus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypseos. Quod in aliis approbationibus librorum a nostro Authore editorum absque ulla assen-

tatio-

tationis umbra me dixisse, memini, idipsum repetere, ac confirmare in hacce præsenti, jure debebam. Sic sentiebam. Ex Ædibus S.Patris Francisci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ salutis septingentesimo quinquagesimo quarto supra millesimum.

Fr. Franciscus Antonius a Colle-Longo Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ S.P.Francisci, Sac. Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Consultor.

APPROBATIO OPERIS.

QUod auctoritate Sac.Palatii Apostolici Magistri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, scilicet, diligentia perlegens, Commentaria, & Dissertationes, quæ in singula Lactantii Firmiani opera elaboravit vir eruditione præstans Pater Eduardus Franceschini a S.Francisco Xaverio Excalceatus Carmelita. In his, magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, scribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inspexi; neque quidpiam, ullibi, observare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honestisque moribus repugnaret: quare si, publici juris fiant arbitror plurimam inde, legentibus utilitatem provenire posse. Romæ ex Monasterio S. Agnetis extra Muros Urbis die xv. Aprilis anni 1754.

D.Thomas Rita Præses, & L. Emeritus.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæterisque Dotibus, quæ Authorum scripta commendant, abunde coruscant Commentaria, & Dissertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P.Eduardus Franceschini a S. Francisco Xaverio elucubravit, & non vulgari cum sui Nominis Gloria editurus est. Quapropter quum jubente Reverendissimo P.Mag.Sac.Pal.Apost. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adversetur, invenerim, Typis vulganda censeo. Romæ ipsis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joseph Morei Archadiæ
Custos Generalis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dom. Jordanus Archiep. Nicomediæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr.Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

L.CÆ-

L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI AD DONATUM CONFESSOREM

LIBER SINGULARIS

DE MORTIBUS PERSECUTORUM

CAPUT I.

1. AUdivit Dominus [a] orationes tuas, Donate cariſſime [b], quas, in conſpectu ejus [c], ConSTANTER EFFUDISTI, ORAns CORAM BEATIſsImIS MAR-

a *Audivit Dominus*: Id eſt: *exaudivit*, verbum enim *Audio*, & *exaudio* interdum indifferenter uſurpantur a Latinis pro eo, quod eſt: *auribus percipio*, *ac poſtulata concedo*. Cicero in Piſon. *Dii immortales preces meas audierunt*, & Pſal. XXIX. ℣. XI. *Audivit Dominus preces meas*. Adde Vallam Lib. v. *Eleg.* cap. XIX.

b *Donate cariſſime*. Hæc ſecunda vox in Ms. inchoatur per K more antiquorum, ut in Cod. Bonon. vetuſtiſſimo obſervavi ad cap. XXII. *de Ira Dei*: Ubi etiam notavi, quater in hiſce Lactantii operibus hoc eodem modo Donatum fuiſſe ab Authore compellatum. An autem idem utrobique cenſendus ſit, in diſſert. XIII. cap. II. Art. II. jampridem dixi. Heic a Philologis, Antiquariis, & Calligraphis obſervatum velim, ſecundæ litteræ hujus vocis: *cariſſime*, ſuperpoſitum eſſe punctum, quod infra ter, aut quater in hocce eodem primo operis capitulo reperitur. V. G. Lin. IV. in

MARTYRIBUS, qui [d] gloriosa confessione sepuLTI [e], IMMORTALITATEM pRO fidei SUAE MERitis quæsierunt [f].

Ec-

in voce: *majori*. Lin. XI. in voce, *auxilio* bis Lin. XIV. in voce, *cruciatibus* &c. Nam ex hac observatione judicari poterit, errent-ne Baluzius, aliique omnes, quibus codex ille unicus, olim Colbertinus n. 1297. nunc Regius Parisien. n. 2627. 4., octingentorum, aut circiter annorum, visus est; an falsum sit, quod docet Mabillon. L. I *de Re Diplom.* cap. XI., ubi sæculo XIII. ineunte, litteram *I.* puncto, quod nos modo retinemus, insigniri cepisse, se putat exemplis quibusdam demonstrare posse. Vide Diss. XXVIII. cap. III. n. VI.

c *Quas in conspectu ejus*. Ista hæc vox ultima nec integre, nec distincte in Ms. apparet: quinimmo ita sequenti arctissime est juncta, ut liquido quid sibi velit non constet.

d *ConsTANTER*. Baluzius aliique post ipsum ediderunt: *& in conspectu ejus, per omnes horas* &c. Sed nec copula, nec tres postremæ voces in Ms. extant; quum glutine quodam desuper injecto ita sint omnes apices deleti, ut ne characterum ductus discerni queant. Hoc tamen habeas pro explorato, quod si extrema vox, de qua diximus nota superiori, sit Tò *ejus*; tunc prima, quæ sequitur, sit Tò *constanter*. Siquidem ita se habet. *CONST*. Unde Langletius, qui Codicem vidit, *ex reliquiis litterarum*, ait, *conjecimus legendum esse, ut in textu insinuavimus*. Ablegat deinde ad specimen è regione suæ editionis positum, quod quum omnino respondeat Nourriano, & Bunemanniano lectionem nostram probe tuetur, & Baluzianam omnino excludit.

e *EFFUDISTI ORans CORAM BEATISsImIS MARTYRIBUS, qui* &c. Idem Baluzius, aliique ante Langletium, legebant heic: *per omnes horas tota die fundis: ceterorumque fratrum nostrorum, qui* &c. Sed vestigia elementorum, & spatia vacua, quæ in Ms. apparent, hanc lectionem etiam reppellunt; & iccirco Langletius edidit: *quas in conspectu ejus constanter fundis per dies omnes, & carissimorum fratrum qui*. At Tò *carissimorum* vox est heic incongrua, tam quia paullo ante præcesserat *carissime*, quam ob spatium angustius, quod inter utrumque *M* intercedit. Commodius ergo legi posse existimarem: *quas in conspectu ejus constanter effudisti, oraNs coram beatiSSIMis Martyribus, qui* &c. Nam oratio ista pro temporum ratione apri-

prime quadrare videtur fidelibus, qui prope Martyrum sepulchra jugibus orationibus una simul vacabant. Adhibui vero potius vocem præteriti temporis *effudisti*, quam præsentis; quoniam præcedit *audivit*, cui preces præcessisse, necesse est. Morem autem orandi coram SS. Martyrum Lipsanis antiquissimum esse, monumenta, quæ in urbe hac conspicua hactenus extant, apertissime demonstrant; nec obscure S. Basilius ostendit in *Hom.* XL. MM. inquiens: *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret. Hic, ut a malis liberetur, ille, ut duret in rebus lætis .... cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces* &c.

f *Qui gloriosa confessione SepuLTI.* Editi omnes heic legunt: *qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam* &c. At quartæ vocis prima elementa Τὸ *sempiternam* efficere nequeunt; nam non *SEPIT* ut vult Langletius: sed distincte *SEPU* exhibet Ms. specimen. Ideoque jure mihi legi posse visum est: *qui gloriosa confessione sepulti* &c. Nam *CONFESSIO* antiquum fidelium est vocabulum ad significandum locum illum, in quo Martyr aliquis occubuit, vel corpus ejus sub altare requiescebat, ad quem per gradus quosdam descendebant orationis caussa credentes, quum cancelli, quibus locus ambiebatur, & statis horis, atque diebus reserabantur: Unde August. Lib. XXII. *de Civ. Dei* cap. VII. ait: *Venit Pascha, atque ipso die Dominico mane, quum jam frequens populus præsens esset, & loci Sancti Cancellos, ubi Martyrium erat, idem juvenis orans teneret* &c. Et S. Gregor. Turonen. de *Mirac. SS. M. M.* Lib. I. cap. XXVIII. inquit: *Hoc enim Sepulchrum sub altari collocatum, valde rarum habetur; sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum*. Quæ itaque Sacrarum ædium pars ab Augustino *Martyrium*, a Gregorio *Sepulchrum*, ab aliis *Descensus*, Græcis Μαρτύριον, pluribus *Confessio* dicebatur: unde apud Ruin. *In Act. S. Theodoti* &c. §. XV. legitur: *Multis igitur precibus exorabat Deum, ut illas in agone juvaret. At vero se concluserat in parva domuncula prope Confessionem Patriarcharum, quæ* &c. Adde Cassiod. Lib. X. *Epist.* II. Vignol. *in Indice Pontifical. Rom. PP.* a se editi V. *Confessio*, & Mart. *Rom.* pridie Non. Julias de S. Tranquillino, qui *quum ad Confessionem B. Pauli die octava Apostolorum oraret, sub Diocletiano Imp., a paganis tentus, & lapidatus, martyrium consummavit*. Vide Baron. notas ibidem, & Baluz. ad Epist. Cyprian. XX. In qua S. Martyr carcerem etiam, in quo Confessores detinebantur: *FLORIDAM CONFESSIONEM* appellat. Noster autem illam dicit *GLORIO-*

SAM; non solum quia apud Isaiam XI. ℣. X. legimus: *erit sepulchrum ejus gloriosum*; verum etiam quia jam pace Christianis per Constantinum Magnum reddita, is in Sanctorum Martyrum, ac præcipue Apostolorum gloriam Basilicas, in locis ipsis, in quibus illi fortiter mortem subierunt amplissimas, splendidissimasque construxerat.

g *pRO fidei SUÆ MERitis quæsierUNT*. Hæc ita reddita sunt a Baluzio, ac aliis: *sibi coronam pro fidei suæ meritus quesierunt*. Lectio quidem digna Lactantio, qui sæpe simili phrasi usus est. E. g. Lib. III. cap. XXVIII. 2. Lib. V. cap. V. seg. 1. L. VII. cap. XIV. seg. 3. Epit., cap. ultimo, seg. finali, ex quibus tamen aptius heic legerem: *immortalitatem sibi* pRO fidei suæ *MeRITis quæsierunt*. I. E. *acquisierunt*.

2. Ecce, addetur his omnibus adversarIus [a]; ET, restituta per orbem tranquillitate [b], profligata nuper Ecclesia [c] rursum exur-

a *Ecce addeTUR his omniBUS adversarIus*. Hanc lectionem præ cæteris omnbus eligo, quamquam alias non contemnendas judicem. E. g. *Adteritur.. adversarius*. *Additur nobis omnibus Adversarius*. *Deletis omnibus adversariis* &c. Ita ut sensus sit, quod Populus etiam paganorum, qui adversus Christi fideles persecutionem agitabat, vel per conversionem credentibus jam copularetur, vel Dei flagellis minuebatur attritus. In hac enim acceptione infra cap XLIII. Noster adversarii vocem usurpat, seg. 1. inquiens: *Unus supererat de adversariis Dei*. Si autem legere mavis: *Ecce abdetur* &c. tunc Τὸ *adversarius* apte exponitur *Diabolus*, quem *adversarii* nomine Lactantius appellat cap. 1. *de Opif. Dei* seg. 7.

b *Et restituta pER orbeM tranquillitate*. Copula in Ms. non extat; sed sensus, & spatium vacuum ibi relictum illam expostulare videntur. Secundæ vero vocis ultima vocalis potius *o*, quam *a* esse apparet, etsi defectum clare ostendat ipse ductus characteris.

c *Profligata nuper Ecclesia*. I. E. nuper vehementer afflicta. Phrasis Lactantio usita Lib. V. cap.II. seg.9. Lib.VI. cap.XXIII. seg. 8. Et expresse Orosius L.VII. cap. XXI. *Ad profligandas Ecclesias edicta Decii incurrerunt*. *Et*

exsurgit, & majore gloria templum Dei [d], quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur.

d *Et majore gloria templum Dei* &c. Plurimi heic pro Templo Dei illud intelligunt Nicomediense, quod infra c. XIII. & Lib. V. cap. II. dicitur jussu Diocletiani, fuisse eversum, quodque deinde Constantini M. pietate fuit denuo in splendidiorem formam instauratum. His præiverat Baluzius in notis ad primam hujus libelli editionem; at secundis curis cum Bauldrio communicatis amplexus est Gilberti Cuperi interpretationem, quæ pro templo Dei, *Cœtum fidelium* exponit. Nec vidit, aut animo advertit, hoc Dei templum numquam ab adversariis fuisse eversum, nec ab hominibus posse fabricari.

3. Excitavit enim DEUS Principes [a], qui tyrannorum nefaria [b], & cruenta imperia resciderunt, ET humano generi providerunt [c], ut jam, quasi discusso transacti temporis nubilo [d], mentes omnium pax jucunda, & serena [e] lætificet.

A 3 Nunc,

a *Principes*. Intellige Constantinum M., Licinium, & filios eorundem.

b *Qui tyrannorum nefaria* &c. Vide Lactantium Lib. V. cap. XI. seg. 19., & Lib. VII. cap. XXVI. seg. 12. hanc eandem phrasin usurpare.

c *Et humano generi providerunt*. Vide ubi supra seg. 11. Præponendam heic copulam plurimi post Baluzium putant editores, & quidem in Ms. nota quædam adest, quæ illam indicare videtur.

d *Discusso transacti temporis nubilo*. Pro secunda voce in Ms. legitur *trisansaru*. Tertull. *Adv Judæos* cap. I. *Nubilo quodam veritas obumbrabatur*. Plin. Lib. VII. cap. XX. *etiam tum tamen nubilo incertæ fuerunt horæ*; sed aptissime ad rem S. Cypr. de *Lapsis*. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate præssuræ, ac nube discussa, tranquillitas, ac serenitas refulsit.

e *Pax jucunda, & serena*. In Ms. *jocunda*. Post sæva bella, ac

ac sedatis populorum seditionibus, quæ procellis eleganter comparantur, in Romanis nummis sæpe scriptum reperies: *Pax traq. Pop. Tranq. Pax Serena.*

4. Nunc, post ATRÆ tempestatis [a] violentos turbines, placidus aer [b], & optata lux [c] refulsit. Nunc placatus servorum suorum (precibus) DEUS [d] jacentes, & afflictos [e] cælesti auxilio sublevavit [f]. Nunc mœren-

a *Nunc post atræ tempestatis.* In Ms. *post atæ* ubi notanda diphthongus per Æ, litteras habens copulatas, quæ in antiquis nescio an alibi occurrat. Lego autem non *tantæ* cum Baluzio, aliisque, sed *atræ*, ut Critic. Anonym. in observat. Miscell. Amstelodami editis, & cum eruditis Brittanis communicatis, indicavit Vol. IV. Tom. I. pag. 3. & seqq., quem infra Anonymi vocabulo appellabimus. Virgil. æn. L. v. ℣. 693.

..... *quum effusis nubibus atra*
Tempestas sine more furit.

Et Apulejus Metam. XI. *Noctis atræ fugato nubilo.* Placuit hæc lectio etiam Bunemanno, & Heumanno.

b *Placidus aer.* Lucret. Lib. III. ℣ 303.

At natura Boum placido magis aere vivit.

c *Optata lux.* In Ms *Objecta lux* Bunem. ait: *Num obtecta lux?* Repono num *oborta lux?* Cicero enim pro Ligario ait. *Vide quanta lux liberalitatis. & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur.* Adde Silium Italium Lib. XVII. ℣. 477. Livium Lib. VIII. de Bello Pun. &c. Quamvis apud Virgil. IV. æn. ℣. 619. .... *aut optata luce fruatur.*

d *Nunc placatus Servorum suorum Deus.* Columbus, Cuperus, & post eos alii excidisse putant verbum aliquod E. g. *precibus, pœnitentia, gemitibus*, aut quid simile: ut in Epitome Cap. LIV. *Deumque precibus placant.* Tentavit Bauldrius locum explicare subintelligendo: *Caussa*, vel *gratia*. Heum. pro *Placatus* legit: *Misertus* Bunem. vocem *Deus* transponit, ut sit sensus sicut: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Certe locus aliquo ex his modis est sanandus.

e *Jacentes, & afflictos.* In Ms. UT pro ET.

f *Cælesti auxilio sublevavit.* Al.

rentium lacrymas [g], extincta impiorum conspiratione, deterGET [h].

Al. *sublevat*. Langletius variantem lectionem exhibet, quam nec suum, nec Bunemanni, nec Nourry specimen indicat. Scilicet: *Cælesti auxilio sublevat. En nunc* &c. Illamque se percepisse asserit: *propius, scrupulosiusque Inspecto Codice*: & quidem bene nam præcessit: *Nunc* ... &c. Notent heic Critici, quam parum sit fidendum speciminibus characterum, ipsisque Codicibus Ms., ad quos sæpe provocant, quum nec unicum esse sufficiat ad variationes vitandas.

g *En nunc mœrentium lacrymas*. Sic ex Langletio, & consone ad ea quæ præcesserunt: *Ecce additur*.

h *Deterget*. QUI SITI, AC IN *illa strati erant, Deo jacent*. Hanc lectionem exhibeo virorum doctorum judicio expendendam; Nam ubi Baluzius, Nourrius, & Anonym. qui ante Langletium Codicem illum singularem inspexerunt, nihil de varietate docentes, legebant: *detersit. Qui* &c. At Langletius testatur, se adnoto lumine legisse: DETERGET, ET JUII &c. In quatuor speciminibus, quæ in oculis habeo illius scripturæ, non omisso eo, quod idem Langletius exhibet, rotunde scriptum est *detersito suci*. Bunem. legit: *detersito Emi*. Hinc Ex his omnibus conjicio, locum istum esse mutilum, & ex duabus vocibus vel similiter incipientibus, vel similiter desinentibus, in unam periodum, duas detruncatas commigrasse, ut in Cod. Bonon. sæpe notavimus contigisse. Puta, quod prima periocha finiatur ut Baluzius legit, *detersit*, Vel, ut vult Langletius *deterget*: Inde quibusdam interpositis legatur in Codice: *deterso situ*, ut defacto legitur in Paneg. Plinii sect. quinquagesima: *Datur intueri pulcherrimas ædes, deterso situ auctas* &c. Non ne tunc Τὸ *detersit*, in *detersito* oscitans, ac linguæ latinæ imperitus Librarius, qualem hunc nostrum fuisse, omnes fatentur, facile commutare potuit? Præterea: SITI, Cicerone teste, lib. II. de Legib. *dicebantur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante, Sepulchrum est, quam justa facta, & corpus incensum est, & quod nunc communiter in omnibus sepultis penitus, humati dicantur*; Id erat proprium *in iis, quos humus injecta contegeret, eumque morem ius Pontificale confirmat* &c. Perpende, quæso, hæc omnia, bone Lector, & confer cum iis, quæ superius diximus Seg. 1 (f) ad verba illa: *gloriosa confessione sepulti*. & mecum forte fortuna in sententiam ibis, ut, credas

das, Authorem noſtrum heic locutum fuiſſe de elevatione Corporum Sanctorum Martyrum, quæ in dedicatione Eccleſiarum, ſeu in Altarium conſecratione antiquitus fieri cœpit, ſemperque in poſterum uſitatum ita eſt, ut ſine illorum ſaltem reliquiis, nulla poſſent Altaria conſecrari, ex Concil. Africano, vulgo v., quamvis re vera Carthaginenſe IV. dicendum ſit, circa tempora Anaſtaſii R. P. celebratum, Can. XIV. ad hoc, ut hic Eccleſiæ mos, antiquiſſimuſque ritus, qui perſecutionis tempore apud aliquos fuerat intermiſſus, ad priſtinam formam reduceretur, revocareturque. Unde S Hieronym. contra Vigilantium: *Male facit ergo Romanus Pontifex, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos, oſſa veneranda: ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia?* Vide cætera apud eos, qui agunt de antiquis Eccleſiæ ritibus ſub titulo: *De Altarium, atque Sacrarum ædium conſecratione*. Verbum autem illud, quod ſequitur ſemideletum, Baluzius, & alii exponunt per Tò *qui* Langletius & *qui*, Bun. *Emi*, Et quidem *emi*, ac magno prætio a Fidelibus, tempore perſecutionis, Sanctorum Martyrum corpora *redimi* conſueverant, ut narrat Euſebius Lib. V. cap. I. *Hiſt. Eccl.* & luculenter demonſtrant Acta Martyrum ſincera. Quum itaque Ms. librarius notis utatur compendiariis, & inuſitatis, legi heic poſſe videtur: *deterget. Qui ſiti, ac in illa ſtrati erant; Deo jacent*. Id eſt vita ſub Altaris menſa nunc jacent, ut Deo inſerviant, quum illi Sacrificium incruentum offertur, quaſi diceret; *jacent Deo ad pedes*. Ut Cicero Verr. VII. *Mihi ad pedes miſera jacuit*; auxilium ſcilicet, & juſtitiam implorando. Vel ut idem *pro Milone*; *jacent ſuis teſtibus ii, qui* &c. *Jacere* autem, pro *Sepultum eſſe* uſurparunt ſæpe latini, inter quos Martialis ait:

Non aliter cineres, mando, jacere meos.

5 QUI SITI, AC in illa ſtrati erant, Deo jacent [a]; qui templum ſanctum everterant

a *IN ILLA Strati erant, Deo jacent* Baluzius edidit: *qui adverſati*; namque opprobria Perſecutorum, Martyrum gloriæ Authorem oppoſuiſſe putavit. In ſpecimine vero Ms. diſtincte legitur poſt verbum illud ſemideletum, de quo ſuperius dixi: *illuſtrati erant Domino jacent*. Quæ optime conje-

rant [b] ruina majori ceciderunt; qui justos excarnificaverant [c] cælestibus plagis, & crucia-

---

jecturæ nostræ utique quadrant, Langletius posthabitis aliorum conjecturis, suam præfert, scilicet; *illuStati*: Heum legit *quiquumque restiterunt Deo* Anonym. *qui vi illustrati erant Deo*. Vossius lege, inquit: *insultati* Heinsius ex Grævio *qui illustraverant Deo*. Bunem. ex Gellio Lib. I. Cap. VII. *illudiaverant*. Bauldrius; *qui insultaverant*, vel *illuserant Deo strati jacent*, & quidem si ad Persecutores eadem verba referenda sunt, illustrari possunt Lactantii verbis ex L.v. cap. II. seg. 2. ait: *Duo extiterunt ibidem, qui jacenti, atque abjectæ veritati, nescio utrum superbius, an importunius insultarent* Ibidem XXIV. seg. 2. *Punietur enim iudicio Dei, qui accepta potestate supra humanum modum fuerint abusi, & insultaverint etiam Deo* &c. Lib. VII. Cap. XXVII. seg. 3. *qui non discendi, sed arguendi, atque illudendi gratia* &c. *profligati jacent* &c.

b *Qui Templum Sanctum everterant*. His confirmo, quæ de Sacris ædibus supra dixeram, jussu Diocletiani, & Maximiani tam Nicomediæ, quam alibi eversis, soloque æquatis. Quando quidem Fidelium Congregatio, seu Ecclesia Christi Sponsa, & Mater nostra numquam dici potuit, aut poterit *eversa*. Pro voce *majori* in Ms. legitur *majoris*, quam lectionem servandam putat Bunem. ut sensus sit: *ruina Majoris*: id est, *Dei illam immittentis* secundum illud Virgil. æn. 1. V. 129.

Fluctibus oppressos Troas,
Cælique ruina

c *Qui justos excarnificaverant*: Langletius ex Ms. *excarnificaverunt*. At in specimine suo & aliorum, ultima vocalis est. A clarissima apparens. Infra cap. XIV. *excarnificari .... praecepit*. Verbum est a Cicerone usitatum Lib. III. de Nat. Deor. *Anaxarcum Democritæum a Cyprio Tyranno excarnificatum accepimus*. Id quippe tormentorum genus non uno impii persecutores exercebant instrumento, sed pluribus: nempe, forcipibus, uncis, ungulis, scorpiobus, pectinibus ferreis, virgis, flagris, plumbatis, ac testaceis fragmentis, Martyrum corpora discerpere consueverant. Vide Euseb. Lib. VIII. *Hist. Eccl.* Cap. IX., & Gellonium in Lib. de SS. MM. Cruciat., quibus adde, quod habet Svetonius in Vitellio: *Apud Germonias minutissimis ictibus excarnificatus*, quod infra declarabimus.

Justos autem Martyres, & Confessores sæpe vocati. Lactantius in libris Divin. Instit. Con-

ciatibus meritis nocentes animas profuderunt [d].

Confer Lib.I. Cap.I. Lib.V. Cap.XI. &c. Alii legunt *excarnificaverunt*.

d *Nocentes animas profuderunt*, Baluzius statim addidit, *distulerat enim* &c. Sed contra Ms. fidem, in quo post Tò *profuderunt*, sequitur, ut habes heic seg. sequenti.

6. Sero id quidem [a]; sed graviter, & digne. Distulerat enim pœnas eorum DEUS [b], ut ederet in eos magna, & mirabilia exempla, quibus posteri discerent [c]: & DEUM esse unum, & eundem [d] JudICEM [e] digna Ju-

a *Sero id quidem*. Ms SERVIT &c. Nourrius primus restituit: *Serius quidem* &c. Bunem. *Sero id quidem* &c. Nam Tò *id* in Ms. sæpe exprimitur per Tò *it* quod verissimum est, & ideo hanc lectionem probamus. Confer ista cum iis, quæ Lactantius habet Lib.I. Cap.I. seg.15. & de *Ira Dei* Cap xx. seg.13.

b *Distulerat enim pœnas eorum Deus*: Plura heic dat Columbus, quæ hanc sententiam illustrant, & plurima addi possent, si vacaret, quum doctores omnes cum Ethnici, tum Christiani rationibus, & exemplis doceant, lento quidem gradu Deum ad plectendos sontes procedere; sed quum procedit, tarditatem supplicii gravitate justissima ob reorum contumaciam compensare: Vide Lipsium de *Consol.* Lib.II. Cap.XIII. & Erasm. in Adagiis. *Dii laneos pedes habent*, & *Reperit Deus nocentes*.

c *Quibus Posteri discerent*. Sic Bun., & ante ipsum ediditio Aboensis, unde falso Langletius ait, quod *omnes editi* legerent; *quibus & posteri*. Verum tamen, quod copula abest a Ms., & ab editis abesse debet.

d *Et eundem juDIcem*. Sic in Ms Al.

e *Et eundem*, *mortem digna ultione superbis*, & *impiis*, *ac persecutoribus irrogare*. Nourrius legit, & *eundem judicem* Langletius & *eundem vindicem*, ut Lib. V. Cap.XXI. *Deus ipse vindex erit*: Ex Ciceron. Lib.II. *de legibus*.

Di-

JudICIBUS ſupplicia impiis, ac perſecutoribus irrogare *f*.

f *Digna judiCibus ſupPlitia impiis, ac perſecutoribus irrogare* Sic in Ms niſi ubi vides majores characteres, quos ſupplevimus, & in fine ubi Ms. habet: *inrogare*. More antiquorum. Nourrius ait: *Duæ* aut tres litteræ in hujuſce *lineæ fine deletæ ſunt; At ibi legendum videtur*: *DIGNO JUDICIO*: H.um. *eundem judicem Judicum digna ſupplicia impiis* &c. Anony. *digna judice ſupplicia*; Bunem., & Langlet. *digna videlicet ſupplicia*: elegimus lectionem Ms. conformiorem.

7. De quo exitu NUNC teſtiFICARI placuit *a* ut omnes, qui procul moti fuerunt *b* vel

a *De quo exitu .... TESTIficari placuit*. Sic Ms. in quo ſpatium vacuum tantæ latitudinis eſt, quantæ illud, quod a tribus characteribus, communiter ſuffectis, occupatur. *Deeſt enim*, ut ait Nourrius, *unum verbum, & initium ſequentis*. In editionibus haſtenus vulgatis varie Eruditi viri ſupplere tentarunt hiſce modis.

De quo exitu (*eorum teſti*)
(*nobis teſti*)
(*imperitorum teſti*)
(*impiorum teſti*)
(*crudelium Principum teſti*) *ficari placuit*,
(*Tyrannorum teſti*)
(*Sæviſſimorum Principum teſti*)
(*palam teſti*)
(*ſcripto teſti*)

Inter quos, ſi ſpeciminis indicio uti volumus, duos primos vix, ſed duos poſtremos tantum, ſpatium vacuum implere poſſe judicamus, & quidem ſi vox ſit per compendium ſcripta. Hinc equidem legerem: *De quo exitu SIC aut HIC*, aut *NUNC teſtificari placuit* &c. Omnino poſthabito audaciſſimi Tollit decreto, qui modo dictatorio: *Lege*, inquit, *de quorum exitu horrendo* &c. Nota heic, ſæpe Noſtrum hujuſmodi hominum mortem *exitum* appellaſſe.

b *Moti fuerunt*. Sic diſtin-

vel qui TALIA LECTURI sunt [c] scirent, quatenus virtutem, ac majestatem [d] suam in exTINGUENDIS, delendisque [e] nominis sui hostibus DEUS summus [f] ostenderIt. NUNC

---

stincte in Ms.: nonnulli tamen legunt: *amoti*. Al. *remoti*, & Vossius, *Lege*, inquit, *noti*. In editione Oxonien. ad calcem opusculi legitur: *Ut qui omnes persecuti fuerant*. Sed male; nam pro iis, qui procul moti fuerunt illi intelligi debent, qui in exilium tempore persecutionis pulsi, procul aberant a finibus Romani Imperii.

c *Vel qui .... turi sunt*: Sic in Ms. Ita vero eruditi supplerunt Editores.

Vel qui	(post nos su) (post hæc oberta) (procul i) (post hæc su) (postea vic) (post nos vic)	turi sunt

d *In extinguendis, delendisque*. Sic in Ms., cujus defectum supplent aliqui conjecturis infra notatis.

In	(perden) (exciden) (extinguen) (eraden)	dis

Observo spatium vacuum una littera esse superiori lacunæ angustius; nam sub *u* in *exitu* signum alterius litteræ proximius apparet. Infra cap. XLVI. seg. 3. *extingueret, penitusque deleret* cap. ult. seg. 3. *Delevit eos Dominus, & erasit de terra*, cap. II. 6. *ad exscindendum cæleste Templum, delendamque justitiam* &c.

e *Deus summus*. Lactantius summi adjunctum Deo passim tribuit in suis libris incipiendo a primo cap. 1. seg. 13. &c.

f *Ostenderit vincta .... ē*. Sic in Ms. unde Nourrius ait: *Rursus ibi duo, aut tria verba resecata sunt. Sed falso*, inquit *Anonym., & negligenter admodum; nam Ms. habet: ostenderet*. Heic clauditur periodus. *Hinc ta ... est*. Langletius. *Hinc itaque utile est*. At relictis aliis, quæ minime cum spatio congruunt cum Bunem. legerem: *Ostenderit. Nunc tamen sat est*. Vel *tamen sat*

NUNC taMEN [f] SATIS est, si a principio, ex quo est Ecclesia constituta [g], qui fuerint PERSEcutores, & quibus pœnis in eos [i] Cælestis judicis severitas vindicaverit, exponam.

---

sat erit. Siquidem post *TA* spatium vacuum est quatuor, aut quinque elementorum capax, & post *E* punctum adest, & linea transversa, quæ in *profuderunt* paullo superius important: *sunt*, & *M* cum eadem linea superposita, nostro idem valet, ac *mente* in *mentes* ibidem apparet. Itaque secundum spatii latitudinem fingo scriptum fuisse. *Nunc tamen satis est*. Bunemmecum legit, & plene scribit Tò *satis*, & ex Lactan. Lib. IV. cap. XXVII. seg. 1. confirmat, ubi Noster ait: *Nunc satis est hujus signi potentiam.... exponere*.

g *Si a principio, ex quO EST Ecclesia constituta*. In Ms. extant hæc distincte scripta; nisi quod sunt diversis litteris exarata, & ab eruditis viris unanimi consensione suffecta.

h *Qui fuerint PERSEcutOres, & qUIBUS pœnis in eos* &c. Nourrius ait: *unum dumtaxat verbum semideletum est*; *nec aliud esse* videtur nisi: *persecutores*. Anony., & Langletius lectionem approbant; & merito; nam litterarum reliquiæ, etiam in specimine illam ostendunt. Non video tamen locum, in quo collocari possit Tò ejus scilicet: *qui fuerint persecutores ejus*, ut legi jubet idem Anonym. Aliorum conjecturas omittimus, utpote minus congruas.

i *In eos Cælestis judicis severitas vindicaverit*. Similem phrasim Lactantius habet L. II. cap. IV. seg. 24., & cap. XVII. seg. 11. Eadem aliquando Cicero, & Gellius usi sunt.

CAPUT II.

1. EXtremis temporibus TIBERII CÆSARIS [a], ut scriptum legimus [b], DO-

---

a *Extremis temporibus Tiberii Cæsaris*. Anno scilicet XV. Imperii Augustæi, XVIII. Imperii Consularis, ætatis vero anno-

Dominus noster JESUS Christus [c] a Judæis cruciatus est [d].

norum LXX. circiter. Cornel. Nepos in Phocione n. xi. *Eidem quum prope ad annum LXXX. prope mansisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum Civium.* Vide Lact. L. iv. cap. x. seg. ii. & Diss. xiii. cap. iii. §. iii. ubi scripturam hujus periochæ dedimus, & seqq., in quibus cætera uberrime exposuimus, & ab objectionibus vindicavimus.

b *Ut scriptum legimus: Qui hunc libellum Lactantio nostro abjudicant*, inquit Bauldrius, *contendunt, hujus operis Authorem respexisse ad ejusdem Lactantii Lib. iv. Div. instit. cap. x. vel ad alia cujusvis Scriptoris, aut plurium.* In dissert. nostra indicata cap. iii. Art. iii. videre poteris, quos Authores in hac sententia Lactantius legisse videatur; non enim ipse primus eam vulgavit.

c *Dominus Noster Jesus Christus.* In Ms. *Dns nr Ihc Xpm.*

d *A Judæis cruciatus est.* Cuperus, Columbus, & Bauldrius explicant: *Crucifixus est*: authoritate Hegesippi Lib. V. cap. xiii. ac Pluti in *Mil. Glor.* A. II. Sc. vii. ℣ 8. verum idem facile non assererem; quum Lactantii authoritates, quæ ad confirmandam hanc explicationem afferri possent, exponi queant pro eo, quod est: *cruciatu affici*, ut idem habet Lib. IV. cap. xxv. seu *Cruciamenta perferre*, ut Lib. IV. cap. xix., quo sensu Cicero, & Cæsar, verbum *Crucio* semper usurpant: Ubi vero Lactantius de Christi Domini crucifixione egit, ut E. g. Lib. IV. cap. x. dixit: *patibulo figeretur: Cruci affixerunt: suspenderunt eum patibulo, & affixerunt*: non *Cruciaverunt*. Quare autem heic sic locutus sit, vide Diss. xiii. cap. iii. Art. i. §. iv.

2. Post diem decimum Kalendarum Aprilis [a], duobus Geminis consulibus [b], quum re-

a *Post diem decimum Kalendarum Aprilis.* Lib. IV. cap. x. seg. 18. Lactantius habet: *Ante diem decimam Kalendarum Aprilium*; Sed non invicem hæc duo opponuntur, ut quidam cum Nourrio arbitrati sunt, si punctum præcedat huic periochæ. Stat enim optime, Christum Dominum fuisse Cru-

resurrexisset die [c] tertio congregavit discipulos [d], quos metus comprehensionis ejus [e] in fugam verterat [f], & diebus qua-

Cruci affixum ante diem decimam Kal. Aprilium, eumque post diem decimum earumdem Kalendarum resurrexisse, ut in Diss. XIII. L. C. ostendimus. Quare nihil aut heic, aut ibi mutandum est, sed Mss. codicum servanda interpunctio ita, ut heic periodus præcedens finiatur illis verbis *cruciatus est*. Et deinde alia inchoetur; & sensus sit: *Post diem X. Kal. April. duobus Geminis Coss. quum resurrexisset die tertio congregavit Discipulos quos* &c. Observo quippe similem interpungendi rationem a Librario nostri Codicis servari lin. III. ante Tò *Ecce addetur* lin. XI. ante Tò *Nunc mærentium*. lin. XVIII. ante Tò *De quo exitu*; sicuti ante Tò *extremis temporibus*; Quæ omnes periochæ majuscula inchoantur, puncto præfixo, ut heic ante Tò. *Post diem X. kal. Aprilis* &c.

b *Duobus Geminis Consulibus*. Scilicet L. Rubellio Gemino, & C. Fufio Gemino, de quibus vide Tabul. Chronologicam Diss. XXII. Cap. II. §. VI. expensam.

c *Quum resurrexit die tertio*. Scilicet post diem X. Kal. Aprilium, id est VIII. Kal. Aprilium, seu 25. Martii. In Mss. scribitur cum duobus SS. *Quum ressurrexisset*.

d *Congregavit discipulos*: Nonnulli Interpretes putabant non statim die tertio post decimum Kal. Aprilium Christum Dominum discipulis apparuisse: sed quibusdam interjectis diebus ex Matth. XXVIII. ℣. X. & XVI. At per errorem lapsi sunt; nam Jo. XX. ℣. 19. habetur; *Quum ergo sero esset die illo una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus, & stetit in medio* &c. Hierosolymis ne, an in Monte Galileæ, disputat heic Bauldrius: at Interpretes declarant locis laudatis.

e *Metus comprehensionis ejus*: Epitom. Cap. XLVII. seg. 3. *Discipulos suos, quos metus in fugam verterat*: & Lib. VII. seg. 10. Cap. XVII. *ut eos comprehendat*. Ne autem amplius miretur Baluem.; vocem hanc passive a Lactantio usurpari, ei Ciceronis explicatione damus, & exemplum ex Lib. I. *Acad. Quæst.* 40. *quum acceptum jam; & approbatum esset, COMPREHENSIONEM appellabat: Similem iis rebus, quæ manu prenderentur, ex quo etiam nomen hoc duxerat*: Idem

quadraginta cum his commoratus [g], aperuit corda eorum, & scripturas interpretatus est [h], quæ usque ad id tempus obscuræ, atque involutæ fuerant [i]. ordinavitque eos [k], & instruxit ad prædicationem dogmatis, ac doctrinæ suæ [l], disponens testamenti novi solemnem disciplinam [m].

Quo

Idem de Clar. Orator. *comprehensione devincendis*; Anonym. notat in Cod. scriptum esse: *comprehensionis* illius autem specimen jam nos defecit in voce: *congregavit*. Vide infra Cap. xv. Seg. 2.

f *In fugam verterat*, & Sic Cap. XLVII. Epit. L. C. Notat heic Anonym. quod puncto post Tò *verterat* apposito, per majusculam litteram nova inchoatur periodus.

g *Et diebus quadraginta cum his commoratus*. In Actib. Apost. Cap. I. ℣. 3. *per dies quadraginta apparens eis*.

h *Et scripturas interpretatus est*. Notent hæc, qui credunt, scripturarum sensum obvium esse quibuscumque lectoribus; ideoque neminem interprete indigere.

i *Atque involuta fuerant*: Anonym. obserat, quod in Ms. legitur *atque ... lutæ* Boherellus legit *fuerunt*: cui prævivit Columbus in editione Aboensi, & utrique subscripsit Bauldrius ex Lib. iv. Cap. XX. Divin. Inst. Seg. I. Al. legunt: *fuerunt*.

k *Ordinavitque eos*. Lib. iv. Cap. XXI. Seg. 1. *Ordinata discipulis suis evangelica, ac nominis sui prædicatione*. Et Epit. Cap. XLVII. Seg. 3. *Ordinata evangelii prædicatione*. Vide Matth. XXVIII. 19. Lucæ XXIV. 47.

l *Ad prædicationem dogmatis, ac doctrinæ suæ*. Anonymi fide admodum hæc in Ms. delata sunt, & vix apparent *v ... atis*: Unde legendum putat: *ad prædicationem veritatis*, aut, *volutatis* Quamvis neutrum quadrare dicat Heum. qui mallet *nominis*, *aut evangelii*: non refragante eodem Anonymo.

m *Disponens testamenti novi solennem disciplinam*. Id est: *Baptismum*: inquit Tollius, cui subscripsit Bauldrius contra Gallicum interpretem hujus libelli, Maucroixium Canonicum Rhemensem, qui de tota novi Testamenti disciplina allata verba ad sensum, quem præseferunt, optime cum SS. PP. intellexit. Distinguenda quippe sunt fidei Nostræ arcana, quæ Christus Dominus

Apo-

Apostolos docuit ante passionem, ab iis, quæ post resurrectionem suam illis tradidit annuncianda, & servanda: scilicet de dogmatibus, de Sacramentis, de Sacris ritibus; quædam enim ita essentialia sunt, ut a nemine queant aut immutari, aut prætermitti; alia autem pro temporum, locorum, ac Personarum circumstantiis variationem admittunt; de quibus Apostoli erant instruendi in illis quadraginta diebus, in quibus a resurrectione ad Ascentionem usque Christus Dominus cum eis est conversatus: *Loquens de Regno Dei*: ut ait S. Lucas in Actib. Apost. Cap. I. ℣. 3. Scilicet de ordinanda ecclesiastica Hierarchia, quæ est Dei regnum in terris a Christo Domino constitutum, & usque ad futurum sæculum per sui Vicarios gubernandum.

3. Dein officio repleto [a], circumvolvit eum procella nubis [b], & subtractum oculis hominum rapuit in cælum [c].

a *Dein Officio repleto*. In Ms. teste Anonym. & Langletio sic legitur; nec ut ibidem ajunt, debuit mutari. Tollius, autem, *malim*, inquit, *impleto*. Nourry legit: *expleto*; at Author noster infra Cap. XVII. seg. 4. *anno repleto*. Lact. lib. VI. cap. I. seg. I. *Officium suscepti muneris . . . complevimus*. Langlet. *Quo officio repleto*. In qua lectione dignum se ea reprehensione ostendit, qua aliorum ipse redarguit audaciam.

b *Circumvolvit eum procella nubis*. Cuperus, Columbus, & Tollius dicunt, plus Authorem nostrum heic exprimere, quam Sacra Scriptura indicet Luc. XXIV. ℣. 51. ubi placide Christum Dominum in Cælos ascendisse narrat. Lactantius contra, quasi poetarum coloribus, & eo modo, quo raptum narrant fuisse Romolum, Christum in Cælos ascendentem adumbrare. At si Acta Apostolorum cap. I. attentius legantur, minime Authori nostro poterunt ista affingi; nam ℣. 9. ibidem legitur; *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Quid simile habes Luc. IX. ℣. 34. *Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos, & timuerunt, intrantibus illis in nubem*.

c *Rapuit in Cælum*. In Ms. ex Anonym. scriptum est *in Cælo* Lact. lib. IV. cap. XXI. seg. I. *circumfudit se repente nube, eumque in Cælum sustulit*. Motu videlicet rapido, & quasi turbineo.

4. Et inde discipuli, qui tunc erant undecim [a], adsumptis in locum Judæ proditoris Matthia, & Paulo [b], dispersi sunt per omnem terram ad evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus [c] imperaverat, & per annos XXV. usque ad principium Neroniani Imperii [d] per omnes provincias, & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt [e]. Quum-

a *Qui tunc erant undecim*. Nondum loco Judæ proditoris repleto per Matthiam, quod post Jesu Christi in Cælum Ascensionem factum est; statim Author indicat. In Ms. ex Anonymo habetur: *qui tum*.

b *Assumptis in locum Judæ proditoris Matthia, & Paulo*. In Ms. ex Anonym. *Adsumptum* . . . . *Mathiam Paulo*. Vide Act. Apost. Cap I. ℣.26. & Cap. IX. per totum. Toinardus heic notat: *Ne ex his verbis inferas, Paulum una cum Matthiæ fuisse Judæ suffectum. Tantum (incuriosius paullo scribens) Lactantius innuere voluit, loco Judæ alios duos Apostolatus munere fuisse functos, Matthiam* scilicet forte electum, & Paulum ab ipso Christo assumptum.

c *Magister Dominus*. Lact. lib. IV. Cap. XXI. seg. 2. *Magistri Dei* & lib. VI. cap. VIII. seg. 11. *Uno Magistro* . . . . *Deo*. ubi Al. legunt: *Domino*. Et quidem Ipse Jesus ait apud Joh. . . *Vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis: sum etenim*.

d *Per annos XXV. usque ad principium Neroniani Imperii*. Sic optime; nam a Consulatu duorum Geminorum ad primordia Imperii Neroniani XXV. computantur anni, ut ostendimus in tabula Chron. Diss. XXII. Cap. II. §. VII. expansa: ubi etiam demonstramus, totidem annis D. Petrum Romanam Sedem tenuisse: idque confirmamus Diss. XXX. cap. II. per totum.

e *Fundamenta miserunt*. Minus latinam, & Lactantio indignam esse hanc locutionem, plurimi sunt arbitrati. Siquidem nullus sic inter latinos locutus est, & idem Lactantius lib. IV. cap. XXI. seg. 2. ait: *fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt*. & lib. VII. cap. I. seg. 1. *Jacta sunt fundamenta*. Baluzius ex Rigaltio, Columbus, & Bunem. pluribus ostendere gestiunt, non raram, neque inusitatam hanc

hanc phrasim fuisse apud Latinos. Sed eorum pace dixerim, minus apta exempla ad hoc demonstrandum, eos attulisse; nec Authoris nostri mentem bene percepisse. Siquidem hæic Lactantius non usurpat Tò *miserunt*: pro Tò *jecerunt*, aut *posuerunt*; sed in proprio, & obvio sensu, ut exprimeret missionem Apostolorum ad omnes Terrarum habitatores, ut ibidem Ecclesias fundarent. Alias quippe non dixisset: *fundamenta miserunt per omnes Provincias, & Civitates*; sed *in omnibus Provinciis, & Civitatibus*. Cicero enim Lib. II. *De Divinat.* ait *Philosophiæ fundamentum in finibus bonorum, & malorum positum est*. Item lib. III de *FINIB. Ponere fundamentum in voluptate* &c. Optime autem dicitur: *mittere fundamentum in aliquem locum*, sive *ad aliquem hominem*. id est; *transmittere id, quod fundamentum* esse debet rei fundandæ. Hoc igitur sensu Noster dixit: Apostolos, ac Domini discipulos misisse in omnes Provincias, & Civitates Ecclesiæ fundamenta: Scilicet eos, qui ibidem Evangelium prædicarent, & sibi onus imponerent sustentandi fideles in nomine Christi congregatos; Unde Apostolus ad Ephes. II. ℣. 20. scripsit: *Estis cives Sanctorum, & Prophetarum: super ædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. De quo apud Isaiam XXVIII. ℣. 16. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum in fundamento fundatum* &c. Confer ea, quæ habentur in Act. Apost. VIII. ℣. 14. & XI. ℣. 22.

5. Quumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit [a], & editis quibusdam mira-

a *Quumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit*. In Ms. *imperet &*: Romanæ Ecclesiæ hostes gravi vulnere hac authoritate confossi, etsi amplius Apostolorum Principis in Urbem adventum negare palam non audeant; præsidium tamen in ea maximum se habere sibi falso persuadent, ut tuto asserere posse arbitrentur, nec S. Petrum ante Neronis Imperium Romam venisse, nec ibidem XXV. annorum spatio sedem in orbe principem implevisse, pessumdata gravissimorum scriptorum authoritate. Jam Fogginus, nunc Vaticanæ Bibliothecæ Custos, paucis ab hinc annis arundinea eorum fundamen-

miraculis, quæ virtute ipsius DEI [b], data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam [c], Deoque templum fidele, ac stabile collocavit [d].

Qua

menta ita subvertit, ut nihil addendum putem tam egregio operi; quamvis ad Authorem nostrum illustrandum, simulque ad responsiones quasdam diluendas, quædam in dissertatione superius indicata congessi, quæ non solum duplicem in Urbem D. Petri adventum demonstrant, verum etiam Episcopatum, Martyrium, Primatum, ac Sepulturam; breviter quidem, sed efficaciter confirmant.

b *Et Editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei* &c. In Ms. præposito puncto per majusculam inchoatur. *Et Editis*. Scite heic Noster ait: *virtute ipsius Dei* miracula Petrum edidisse; Nam Deus solus eorum Authorem esse posse, ostendimus Diss. xxv. cap. v. §. 11. An autem fabulosa omnia sint, quæ a D. Petro Romæ patrata dicuntur, præcipue contra Simonem magum, quod Cuperus, & Bauldrius, aliique nonnulli temere negaverunt definitum est Diss. xxx. cap. II. §. x1.

c *Convertit multos ad justitiam*. Id est: ad Christi veram Religionem. Solita Lactantii phrasi passim in libris omnibus occurrente.

d *Deoque Templum fidele, ac stabile collocavit*. Vere heic de Fidelium Cœtu, seu congregatione, Templi vocabulum est intelligendum, ut lib. IV. cap. x. seg. 1. cap. xIV. seg. 1. & 2. & cap. xxv. seg. 2. &c. idem docuit Lactantius; Sed his cum illis collatis locis videre poteruut Romanæ Ecclesiæ osores, quomodo de eadem Romana Ecclesia loquebantur Antiqui, eidem tribuentes, quod de universali Christianorum corpore, caput ejus, Christus Dominus ait Matth. xvI. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*: Quum enim dicit Noster, *fidele, hac stabile* Templum Deo collocasse Romæ Apostolorum Principem, jam innuit, hanc illam esse aliarum Ecclesiarum Matrem, & Magistram, vicissitudinum, ac ruinarum omnino nesciam, qualem esse decebat regulam, ad quam fides, nullo subjecta defectui, foret ab omnibus dirigenda, ac de qua unice dici posset: hæc *est Ecclesia Dei vivi, Columna, & firmamentum veritatis*, ut ait Apost. 1. ad Tim. III. ℣. 15.

6. Qua re ad Neronem delata [a], quum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam [b], damnata vetustate [c], transire, ut erat exse-

cra-

a *Qua re ad Neronem delata*. Bonam heic fidem in Lactantio se desiderare, inquit stultissimus Tollius, quum persecutio Neroniana in Christianos mota fuerit, *ut incensa Urbis invidia in Christianos derivaretur*: Additque *Nec tempora congruant: immo, ut paucis dicam: manifeste hæc falsa sunt*. Paulus Bauldrius quædam non contemnenda Tollio reposuit ad fidem Nostri vindicandam: plenius tamen id munus implevit Nourrius cap.vi. art. 1. suæ primæ dissertationis in hunc libellum, ut suo loco visuri sumus.

b *Ad Religionem novam*. Confer quæ a Lactantio dicta sunt lib.iv. cap.xx. a seg.4. de novo, antiquoque fædere, ut intelligas, quomodo nova simul, & inter omnes antiquior nostra sit Religio: quæ quum fraudis, aut erroris postulari a nemine jure possit, de thesauris suis nova, & vetera promit, & ostendit, instar illius Patris familias, cui Christus Dominus Matth. xiii. ℣. 52. Doctum scribam similem esse dixit. Hæc intelligentes primorum Ecclesiæ sæculorum PP. non sunt veriti, *Christianam Gentem, novum, & nascentem populum appellare*, ut innuerent, distinguendum esse a veteri Populo Hebræorum, qui expectatum, promissumque Messiam nec recipere voluit, neque agnoscere præsentem. Vide Clem. Alex. Lib.1. *Pædag.* Cap. V. Judæi autem, & Pagani, qui hæc minime intelligebant, rationibus satis diversis Populum Christianum traducere cœperunt, appellantes Religionem nostram, novum quoddam superstitionis genus, a Deorum cultu, & a lege Mosayca partim alienum, partim excerptum. Vide Sueton. in Neron. Cap.xvi. Plin. Jun. Lib.x. Epist. xcvii. Tacit. ann. Lib.xv. Cap.XLIV. eosque omnes, qui tam ex Græcis, quam ex Latinis apologias, & commentaria pro Christianis a primo usque ad quartum Ecclesiæ sæculum ediderunt.

c *Damnata vetustate*: Non quia obsoleverit, aut ab invecto antiquitatis usu; quasi vestimentorum genus quoddam recesserit; sed quia cognita, ac detecta, falso pro omnium vetu-

crabilis, ac nocens tyrannus [d], prosilivit ad excidendum cæleste templum; delendamque justi-

justissima ab Ethnicis veteratoribus jactata, utpote quæ nec Deum ipsum authorem habuerat, neque ejus nitebatur testimoniis, fallere, ac falli nesciis; tandem eo ventum est; quo mendacia omnia deveniant, si altius eorum vestigia omnia repetantur, necesse est. Laudat in hanc explicationem Epistolam Cypriani Ad Pompejum Baudrius; & similia verba exponens ait: *Non ut vetustate simpliciter; & quod ajunt, sine addito; sed ut vetustate erroris, Quo modo locutus est alibi S. Cyprianus.* Et continenter sequitur: *Atque ita Majores nostri,* (intellige Lutherum, Calvinum, aliosque hujus furfuris homines) *damnata vetustate errorum Ecclesiæ Romana; ad eampse Religionem novam, de qua modo Noster Cæcilius; transierunt. Eant ergo; qui nos; majoresque nostros damnasse vetustatem clamitant. Habemus quorum exemplo; plaudentibus purioris Ecclesiæ Patribus; gloriemur esse Novatores; Novatorumque filii.* Sed utinam, qui se novatorem, novatorumque filium fassus est, ita etiam novitatem dogmatum suorum contulisset cum doctrina purioris Ecclesiæ Patrum; vidisset utique illam errorum colluviem, in quam a majoribus suis omnes sint heterodoxi jactati, & quantum ab avitæ veritatis fonte, quo Romani Catholici in universo terrarum orbe potantur, infelicissime aberrent. At ii, ut *contra Donatistas*, eadem Cypriani authoritate abutentes, inquiebat Augustinus lib. v. cap. 1. laudanda in tanto viro aversantur; & emendanda sectantur; adeoque mirum esse non debet si ea, quæ recta sunt, ante eorundem oculos, præjudiciorum caligine infectos, videantur inversa. Utinam saltem Apostolum audirent 1. ad Corinth. Cap. v. ℣. 7. scribentem, quum de ritibus quibusdam, ac de eorundem disciplina ageretur: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* At si de fidei dogmatibus agatur, ut idem ad Gal. ait cap. 1. ℣. 8. *Licet aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam evangelizamus vobis, anathema sit.*

d *Ut erat execrabilis, ac nocens tyrannus.* Lactantius sæpe in suis operibus *execrabilis* epitheto in similibus utitur, ut heic diligenter notavit Langlelus.

justitiam [e]; & primus omnium persecutus

e *Ad excidendum cæleste Templum, delendamque justitiam.* Editio Oxoniensis: *ad excindendum*, & sic etiam editio Cantabrigensis sed contra Ms. fidem; in quo expresse legitur: *ad excidendum* quod verbum in hoc eodem sensu sæpe à Lactantio in suis operibus, secundum lectionem Bon. Codicis usurpatur. E. g. Lib. III. cap. XXVI. seg. 12. Lib. V. cap. III. seg. 22. Lib. VI. c. XV. seg. 10. & præsertim *de Ira Dei* cap. XVII. seg. 12. in quibus etiam Τὸ *Templum* pro Fidelium cætu intelligendum est. Τὸ *justitiam* vero; pro Christiana Religione, quæ, quum imperante Nerone longe, lateque per orbem diffusa esset, universalem potius persecutionem, quam localem tantum, passa esse vere creditur, ut ostendit Baronius ex vetusta illa inscriptione, quam olim secundo Annalium Tomo, postea vero in primo ad an. LXIX. n. XLVI. sic excripsit:

NERONI . CL. CAES. AUG.
PONTIF. MAX. OB. PRO
VINC. LATRONIB. ET. HIS.
QUI. NOVAM. GENERI. HUM.
SUPERSTITIONEM. INCULCAB.
PURGATAM.

Hæc quippe in Hispania eruta est ex ruinis Pagi *Meramesar*, teste Aldo Manutio, qui eam primus edidit post Schol. ad Comm. Cæsar. in descriptione Provinc. Hispan., & quamvis Gruterus p. CCXXX. eam dicat extare in Lusitania ex ruinis *Marquesiæ*, Josephus Scaliger in Hispania, loco *Pisvergæ* vocato, dubiæque fidei illam existiment cum eodem Scaligero Fleetu vodus, & Ittingius; Pagius tamen nota IV. Critic. Baron. ad an. LXIV., & Bauldrius heic genuinam merito propugnant, iis prætermissis, qui quum nullum suæ suspicionis rationem in medium attulerint, iniquo sane jure illam falsitatis insimularunt. Neque alicujus momenti est, quod addit Ambrosius Morales Lib. IX. *General. Chron. Hisp.* p. 265., se nimirum eam invenire non potuisse in locis, in quibus extare dicebatur; nam plerumque hujusmodi monumenta vel de uno in alium locum translata, vel collapsa perierunt; ac propterea nisi imposturæ appareat indicium, non est quare inter eas hæc quoque recenseatur inscriptio.

DEI servos *f* Petrum Cruci affixit *g*, & Paulum interfecit *h*. Nec

f *Et primus omnium persecutus est Dei servos*. Ms. *persecutos*: ex Nourrio. Plurimi heic Anthorem Nostrum incusant, quod omnium primum sine aliquo addito dicat, Neronem servos Dei persecutum esse. Hoc porro manifeste falsum ostenditur, ex Actibus Apostolorum, in quibus habetur, ut verbis utar D. Augustini Lib. XVIII. *de Civit. Dei* cap. LII. quod: *Post quam Christus ascendit in Cælum, Hierosolymis facta est* (persecutio) *ubi Beatus Stephanus lapidatus est: ubi Jacobus frater Johannis gladio truncatus est: ubi Apostolus Petrus, ut occideretur, inclusus est, & per Angelum liberatus: ubi Saulus, qui postea Paulus factus est, vastabat Ecclesiam, ubi ipse quoque, jam fidem, quam persequebatur, evangelizans, qualia faciebat, est passus, sive per Judæam, sive per alias Gentes, quacumque Christum prædicabat*. Adde & ante Christi Domini Adventum Judæos persecutos fuisse Dei Servos, ut eisdem exprobravit idem Christus Mat. XXIII. ℣. 34. Quomodo ergo Nero primus dicitur Dei servos persecutus? Respondeo, quia ipse primus non in quosdam duntaxat, sed in omnes Christianos, ubicumque commorantes, persecutionem movit, ut eos penitus de medio tolleret; *odio generis*, sicuti legit Faernus, vel quia, ut legunt alii in Taciti ann. Lib. XV. n. 44. Eos *humani generis odio* dignos esse, primus existimavit. Ante Lactantium Tertullianus idem dixerat cap. V. *Apologetici*, & *cap. ultimo Scorpiaci*; sive tractatus adversus Gnosticos. Idem post Lactantium Eusebius in *Chron.* n. MMLXXXIIII. & Hist. *Eccl.* Lib. II. cap. XXIV. Idem Petilian. Constantiens, seu Circens. apud August. Lib. II. *contra Litt. Petiliani* cap. XCII. Idem Sever. Sulpicius Lib. II. *Hist.* Idem Orosius Lib. VII. cap. VIII. Adde Vignolium Bibl. Vatic. Præf. in notis ad *Pontif. Rom.* editum an. 1724., & quotquot de Ecclesiæ persecutionibus scripserunt.

g *Petrum Cruci affixit*. Non eo, quo Christus modo; sed inverso capite, ut ex Origen. narrat Euseb. Lib. III. hist. Eccl. cap. I. Ad locum crucifixionis ejus quod attinet, confusio non modica aliquando fuisse, dicitur, ex eo suborta, quod in actis passionis ejus, quæ Lini nomine circumferebantur, id contigisse narratur, *in Naumachia, juxta obeliscum Neronis in Monte*: & in libro Pontificali, cujus S. Damasus author

thor habetur, *sepultus, dicitur, est via Aurelia; ad templum Apollinis juxta locum, ubi crucifixus est; juxta Palatium Neronianum in Vaticano, juxta territorium triumphale*. Sed tandem lis omnis jam diu finita est: quum pro Naumachia in actis laudata, intelligenda esse, eruditi viri noverint, Stagna Neronis, quæ prope Tiberim erant ad latus Janiculi; seu Vaticani Collis, ubi Amphitheatrum Domitiani Cæsaris postmodum ædificatum est, Martiale teste Lib. I. Epig. II.

Hæc ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, Stagna Neronis erant.

Adde Epig. XXXI. Extr. Ibidem autem Palatium, Circum, Obeliscum, & Hortos Neronianos fuisse sitos ad radices ejusdem Collis, in quo Apostolorum Princeps Cruci affixus est, & inde mons aureus appellatus, ii omnes docent, qui de Urbis Romanæ monumentis egerunt.

h *Et Paulum interfecit*. Paullus Baudrius legi jubet: *& Paulum gladio interfecit*: tribus allatis rationibus; quem tamen sine Ms. Codicis authoritate nemo hactenus secutus est; quamvis certum sit, Gentium Apostolum, uti Civem Romanum decebat, capite obtruncato, martyrium complevisse ad Aquas Salvias, seu ad Guttam jugiter manantem, tertio ab Urbe lapide, via Ostiensi: illudque vere mirandum contigisse, quod S. Ambrosius Serm. LXVIII. hisce verbis commemorat: *de Pauli vero cervice, quum eam Persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quam Sanguinis*. Vide Euseb. Lib. II. Hist. Eccl. cap. XXIV.

7. Nec tamen habuit impune [a]. Respexit enim DEUS vexationem populi sui [b]. Dejectus

a *Nec tamen habuit impune*. Sic Lactantius in Epit. cap. LIII. seg. 5., & cap. LV. seg. 3. contra Mss. fidem. Editi nonulli legunt: *abiit*, quemadmodum etiam infra cap. XXX. seg. 2. Nourrius lectionem restituit, quæ vere latina est, & Terentiana; Siquidem *in Eunucho* Act. V. Sc. II. V. 53. legitur:

Nec ullus habuit impune,
quod Deum læsit.

Et apud Ciceronem Lib. XIV. Ep. I. ad Attic. similia habentur.

b *Vexationem populi sui*. Lactantius Lib. V. cap. XXIII. seg. 3.

ctus itaque fastigio Imperii, ac devolutus a summo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit [c], ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ [d] appareret [e].

seg. 3. eodem sensu idem vocabulum adhibuit. Et Cicer. Lib. IV. Tuscul. Quæst. *Afflictio, ægritudo cum vexatione corporis* &c.

c *Nusquam repente comparuit*. Lactantius Lib. V. cap. III. seg. 9 *repente judicio non comparuit*. Lib. III. cap. XVIII. seg. 5. *quum repente non apparuisset* &c. Caussam Neronianæ fugæ, ac sibi illatæ necis luculenter narrat Suetonius Lib. VI. cap. XLVII. *de Cæsarib.* brevissime autem eam perstringit Tacitus Lib. III. hist. cap. LXVIII. ubi ait: *Nox, & ignotum Rus fugam Neronis absconderat*.

d *Ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret*. Ut hæc facile intelligantur, & Author ab ea calumnia vindicetur, qua Tollius eum simul, ac veteres Christianos, tamquam splendide mentiri solitos, infamat: *quorum*, inquiens, *mendaciorum si contexere catalogum luberet, tota iis plaustra impleri possent, atque una cum Sibyllinis carminibus ad Anus vetulas mitti*: fuse egimus in Diss. XXXI. cap. II. a §. I. de nece, funere, sepultura, ac falsis redivivi, seu nondum mortui Neronis in vulgum sparsis rumoribus; ibidemque ostendimus potius vaticinio, quam mendacio similem esse hocce Lactantii effatum, ob ea quæ postmodum contigerunt. Interea sufficiat, nec minimam partem ex Neronis cadavere ad gentile Domitiorum monumentum fuisse illatam, si vera sunt, quæ de eiusdem funere narrant historici.

e *Tam malæ bestiæ*. Sic sæpe non solum in hoc opere, verum etiam in aliis locutus est Lactantius: E. g. Lib. V. cap. XI. seg. 5., & 6. cap. XXIV. seg. 3., & Lib. VI. cap. X. seg. 8. ubi ait: *Ergo pro belluis immanibus sunt habendi, qui hominibus nocent* &c.

8. Unde illum quidam deliri [a] credunt esse

a *Quidam deliri*. In Ms. *quidam deleri*. Hinc facile poteris conjicere quam longe Isæus a Lactantii mente aberraverit, quum ad Lib. VII. cap. XVI. seg. 3. annotavit, regem illum ab

esse translatum [b], ac vivum reservatum [c], Sibylla dicente [d] matricidam profugum [e] a finibus esse venturum [f], ut, quia primus [g] persecutus est; idem etiam novissimus perse-

---

ab extremis finibus plagæ septemtrionalis venturum, de quo Noster loquitur, fore, secundum Lactantii opinionem; fortasse Neronem ipsum; ut aliqui crediderunt; quos ibidem Isæus laudat, & heic delitos Noster appellat.

b *Esse translatum*. Baudrius heic quærit, quonam hi crederent Neronem fuisse delatum? Et sibi ipse respondet: in fines terræ; propter ea, quæ sequuntur. At ex Commodiano didicimus; eos qui hanc opinionem tenuere, sibi persuasisse, Neronem vivum ad inferos descendisse; ac inde esse reversurum, ut mox exponemus.

c *Ac vivum reservatum*. Fabula ista inde originem apud Ethnicos traxisse videtur, quod *Nerone adhuc vivo*; ut ait Sueton. *sed nusquam apparente*; nam *nox, & ignorum rus fugam ejus absconderat*, teste Tacito Lib. III. Hist. n. LXVIII. exercitus primum, deinde Senatus; Populusque Romanus Galbam Imperatorem appellarunt. Apud Christianos vero idem iste rumor incertus locum dedit, ut quidam de eodem intelligerent verba Apostoli II. ad Thess. cap. II. ℣. 3. & Apocal. XIII. v. 3. ut Loco C. videbimus.

d *Sibylla dicente*. Commentariorum in hunc librum Scriptores scite annotant, Lactantii morem hunc esse in laudandis carminibus Sibyllinis; ipso dicente Lib. I. cap. VI. seg. 14. *Sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum*.

e *Matricidam profugum a finibus esse venturum* &c. Baluzius heic versus recitat quosdam ex Lib. V. & VIII. *Sibyll. Oracul.* qui in editione illorum Gallæana extant pag. 619. & 688.; quibus addi debent, ii qui leguntur a pag. 520. Καὶ τότ' ἀπ' &c. cum expositionibus ibidem appositis.

f *A finibus esse venturum*: Janson ab Almeloyen addendum heic esse putat: *Terræ*. Quod etiam placuit Anonymo: In Carminib. Sibyll. *de finibus orbis*: & Commod. Gazæus *ab inferis*.

g *Ut, quia primus*. Tollius mallet: *ut qui primus*. Sed nihil immutandum quum sæpe Noster verbum: *persequor*: absolute usurpare soleat, sicuti apte heic notat Bunem. & infra visuri sumus.

sequatur, & Antichristi præcedat adventum[h], (SED nefas est credere[i]) Sicut duos prophetas[k] vivos esse translatos, in ultima SÆCULA PAULLO ante JUDicium[l] Christi sanctum, ac sempiternum, quum descendere cœperit, REDITUROS IN MUNDUM, pronun-

h *Et Antichristi præcedat adventum*. De Antichristo fuse egimus Diss. xxxiii. cap. i. §. i. seqq. De præcursore autem ejus Nerone quid veteres quidam Scriptores dixerint, relatum a nobis est Diss. xxxi. cap. ii. §. iii.

i *Ii (SED NEfas est credere*) In Ms. post Tò *adventum*: spatium vacuum occurrit trium, aut quatuor characterum capax, quod aliquando per verbum mutilum *Efas*, nunc per *fas* terminatur. Hinc diversimode editores locum sanare tentarunt. Al. *quod nefas est credere*: & hæc verba vel intra, vel extra parenthesim scripserunt. Bauldrius melius, legendum censuit: *Alii, quod nec fas est credere* &c Quam lectionem tamen loci angustia repellit. Langletius: *Itaque fas est credere*: Sed ista cum Tò *deliris* non cohærent. Et iccirco nostram præfero lectionem ex his omnibus conflatam, spatioque congruentem.

k *Sicut duos prophetas*. Langletius heic cum aliis notat, in Ms. legi: *sicut duas*. Et nota sequenti exponit: *Duo prophetæ, quorum hic habetur mentio, sunt Moses, atque Elias*. Sed omnino temere; nam Moses nusquam translatus fuisse dicitur. Sed de Henocho tantum, ac de N. S. P. Elia, hoc traditum habemus, eosque ante judicii diem in mundum esse rediturос, sacri docent interpretes *ad Apocal.* xi. ℣. 3. vide annotata a nobis ad Lib. VII. cap. xvii. seg. i.

l *In ultima SÆCULA PAULLO ante JUDicium* &c. Nourrius notat, duo aut tria verba in Ms. Codice esse abrasa, in quo solum legi posse tradit: *in ultima . . . . . initium*. Anonymus addit, se ibidem legisse *etiam ... ante initium*. Immo neque ultimam vocem integre apparere, ut Heum observat. Hinc his omnibus expensis, cum Columbo, & aliis lego: *in ultima sæcula* deinde cum Anonymo, & ex conjectura addo: *paullo ante judicium* &c. Quæ si Lactantii verba non sunt, sensum tamen exprimunt illius.

nuntiant [m] : eodem modo etiam Neronem venturum putant, UT PRAEcurſor [n] diaboli, ac prævius ſit venientis ad vaſtationem terræ, & humani generis [o] everſionem [p].

m *Quum deſcendere cœperit REDITUROS IN MUNDum pronunciant*. In Ms. teſte Langletio, habetur. *Quum deſcendere cœperit . . . . . . um pronunciant*, ad quæ quum alii non diligenter advertiſſent animum: *redituros*, aut *præcurſuros*, cum Tò *pronunciant* immediate junxerunt. Ipſe autem Langletius edidit: *quum deſcendere cœperit, quod Sibyllæ futurum pronuntiant* &c. Nos itaque commodiorem viam ingreſſi, lectionem dedimus, quam magis aptam cenſuimus.

n *Venturum putant, UT PRÆcurſor*. Al. *ut qui præcurſor*. Al. *qui futurus præcurſor*. Sed non adeo ampla lacuna eſt, ut hæc omnia queat continere; teſtantibus Nourrio, & Langletio in Ms. quinque, aut ſex elementa deeſſe.

o *HumaNI GENeris*. In Ms. quatuor circiter deſunt literæ, duæ nimirum extremæ vocis primæ, ac totidem initio ſecundæ, quæ nemine diſcrepante una cum aliis facile reſtitui potuerunt.

p *Everſionem*. Intellige maximam vexationem; nam ex dictis paullo ſupra conſtare poterit, eam non fuiſſe Lactantii opinionem, quam etiam excludit millenarii regni commentum, alias a Noſtro adoptatum. Lib. VII. cap. XXII. ſeg. 2. Antichriſtus dicitur hoc eodem ſenſu: *everſor, & perditor generis humani*.

CAPUT III.

1. POſt hunc, interjectis aliquot annis [a], alter non minor tyrannus [b] ortus eſt [c] qui

a *Interjectis aliquot annis*. Vide Tabul. Chron. Diſſ. XXII. cap. II. §. VII. In verſione Anglica hocce caput incipit: *Aſter Nero*: id eſt: *Poſt Neronem*. In Ms. apud Langlet. pro *aliquot*: legitur: *aliquod*.

b *Alter non minor Tyrannus*. Baluzius Domitianum intellexit, utpote qui non ſo-lum-

qui quum exerceret invisam Dominationem [d], subjectorum tamen cervicibus incubavit [e]; quam

lum post Neronem primus fuit, qui in Christianos persecutionem excitavit; sed etiam quia alter Nero dictus est. Juven. Satyr. IV. v. 37.

Quum jam Semianimum laceraret Flavius orbem,
Ultimus, & Calvo serviret Roma Neroni &c.

Fuit enim Domitianus ultimus Imperator ex Flaviorum familia ante Constantium Chlorum: item & Calvus, unde Ausonius ait:

Et Titus imperii felix brevitate. Secutus
Frater: quem Calvum dixit sua Roma Neronem.

Tertull. cap. v. Apolog. *Et Domitianus portio Neronis de crudelitate*, & Lib. de Pallio cap. IV. eundem vocat *subneronem*. Vide August. Lib. II. *contra Litt. Petiliani* & Euseb. Lib. III. hist. Eccl. cap. XVII. Eidem Baluzio, omnes in expositionem hujus loci subscripserunt Lactantii Iterpretes; solus Nourrius pag. 135., & 202. suæ primæ dissertationis ex suppresso Domitiani Nomine ait: *Siccine ergo Lactantius suspensos suis in libris retinuit animos, ut eis, de quo loquatur relinquat non facile divinandum?* Sed quæso! quid opus erat Tyranni nomen addere ubi tam vivis coloribus adumbraverat Domitianum ingenuus, atque elegantissimum Scriptor? Nonne idem paullo supra fecerat, quum de Duobus Prophetis, ante Christum judicem venturis, loquitur? Nonne idem Lactantius nomina tacuit illorum duorum hominum, qui se audiente Religioni insultabant, ac illius, qui *Cypriani* nomen, in *Cuprianum* commutaverat Lib. V. cap. II.?

c *Ortus est*. Non in dias lucis oras, in quas Domitilla ex Vespasiano eum pepererat, adolescente primo Nerone; & fere annum ætatis suæ XVII. agente, quum ille de medio sublatus est; sed ortus ad Imperium administrandum, de quo natali die infra dicemus. Sic Lactantius Lib. VII. cap. XVII. seg. 2. ait: *Alter rex orietur ex Syria* ubi vide, quæ sunt a nobis annotata.

d *Invisam dominationem*. Quamvis enim primis Imperii sui diebus clementiam simulasset; mox tamen *omnem vim dominationis*, ut Suetonius ait, *tam licenter exercuit, ut jam qualis futurus esset ostenderet*. In Ms. pro Τὸ *invisam* legi posse *injustam*: dicit Langletius, qui ob eam rationem a vulgata ab aliis omnibus lectione recessit.

e *Cervicibus incubavit*. Lact.

quam diutissime [f], tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum [g] tetendet.

Lact. Lib. VII. cap. XIX. seg. 1. *capto mundo eum magnis latronum exercitibus incubavit.* Adde Lib. V. cap. V. seg. 7.

f *Quam diutissime*. Annis XV., & mensibus quinque secundum Eusebium, Hieronymum, & Jornandem; quamvis Xiphilinus ex Dione, pro mensibus dies numeret, eique subscribat Anna Fabri ad Sext. Aur. Vict. *de Caesar.* Clemens vero Alexandr. octo amplius menses addidit ad annos XV. Vide Casaub. ad Lib. VIII. Sueton. circa finem: in Domitiano.

g *Impias manus adversus Dominum tenderet*. Id est: usque ad persecutionis in Christianos motae initium; Dominum enim persequi dicitur, qui eos persequitur, à quibus ille adoratur, & colitur, secundum illum, quod Act. IX. v. 4. à Christo Domino Saulo persequenti Ecclesiam dictum est: *Saule Saule quid me persequeris?* Quo anno haec secunda in Christianos persecutio incoeperit, non una est Chronologorum opinio; nam Baronius illam refert ad an. aerae vulgatis XC. Drusius ad XCI. Pagius ad XCIII. Dovvell. ad XCV. Vide Tabul. Nostram Chron. Diss. XXII. cap. II. §. VII., & Diss. XXXI. cap. II. §. V.

2. Postquam vero ad persequendum justum populum, instinctu doemonum, incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit poenas [a]. Nec satis ad ultionem fuit, quod est interfectus domi [b]; etiam memoria nominis ejus erasa est [c].

Nam

a *Traditus in manus inimicorum luit poenas*. Lact. lib. VII. cap. XV. seg. 10. & XIX. Seg. 6. hac eadem phrasi usus est, item Epit. cap. LXVIII. seg. 9. Sex. Aurel. Victor de eodem Domitiano loquens cap. XI. *de Caesarib.* ait: *Is ergo magis magisque saevitia nimius, eoque suspectior etiam suis, libertorum consilio, uxore non ignara, quae amorem Histrionis viro praetulerat, poenas luit quinto, & quadrage-*

gesimo anno vitæ , dominationis Circiter xv. Adde Sueton. Lib.VIII. Cap.XIV.

b *Iterfectus domi* . Cuperus. *Parum abest*, ait, *quin distinquam* : *INTERFECTUS. DOMI ETIAM* &c. quod placuit nemini . Idem in Epistola ad Voet., quam in editione Bauldriana habes Part. II. pag. 9. ex chron. Alexand. refert , Domitianum obtruncatum fuisse in Fano Jovis, eamque opinionem merito impugnat, & reprobat, utpote quæ contra se habet historicos omnes , qui hoc contigisse narrant in Cubiculo , ubi interdiu requiescere consueverat intra domum Palatinam . Sueton. in Domit. Cap.XVI. ait : *In cubiculum se recepit , atque ibi occisus est* . Adde Plinium Jun. in Paneg. , Entrop. & Zosim. &c.

c *Etiam memoria nominis ejus erasa est* . Sic Sueton. & Aurel. Vict., quibus adde Macrob. Lib. I. *Satur.* Cap. XII. Lipsium de *Anphith.* , & Pagium ad an. Christi LXXXVIII. num. XI. ubi lapidem cum inscriptione semideleta hoc modo exhibet :

A. P. R. C. DCCCXLI.
: : : : : : : : : : : :
: : : : : : : : : : : :
: : : : : : : : : : : :
: : : : : : : : : : : :
EX S. C. LUDI. SÆCULARES. FACTI.

Hujusmodi opprobrio affici consueverant apud Romanos parricidæ , quorum nomina e fastis delebantur . Tacit. an. Lib.III. Cap.XVII. *Nomen Pisonis radendum fastis censuit*: Cicero pro Sext. de Pisone , & Gabinio ait : Ii *Consules , si appellandi sunt Consules , quos nemo , quin non modo ex memoria , sed ex fastis evellendos putet* ; Tales in Capitolio hodie omnium oculis exhibentur tabulæ hisce nominibus deletis .

3. Nam quum multa mirabilia opera fabricasset , quum Capitolium , aliaque nobilia monumenta fecisset [a] , Senatus ita nomen ejus

a *Quum Capitolium , aliaque nobilia monumenta fecisset* : Suetonius ubi supra : *Plurima , & amplissima opera , in-*

ejus persecutus est, ut neque imaginum, neque titulorum ejus, relinqueret ulla vestigia [b]; gravissimis decretis [c] etiam mortuo notam inureret, ad ignominiam sempiternam [d].

incendio absumpta, restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat; sed omnia sub titulo tantum suo, ac *sine ulla pristini autheris memoria.* Eusebius in chron. num. MMC. & Eutropius in Breviar. opera ista recensent; sed omnium pleniſſimam notitiam eorundem dedit Caſſiodorus in chron., aſſignatis Conſulibus, ſub quibus fuerant ſingula adornata, & abſoluta.

b *Ut neque imaginum, neque titulorum ejus relinqueret ulla vestigia*: In Ms. teste Anomy. *relinquerent*: Vide historias supra laudatas, quibus adde Xiphil. in Nerva, Procopium in hist. Cæsar. arcana, & Dionem Lib. LVIII. ubi narrat ejusdem statuas æreas dejectas, & liquatas in monetam fuisse conversas: Ideoque rarissimæ sunt hujus Imperatoris monumenta, & pleraque ex iis, quæ ab Antiquariis ostenduntur; supposititia censentur. Vide Lips. ad VI. Taciti Annal. & Rod. Forner. Lib. II. Cap. XVII.

c *Gravissimis decretis*: In Ms. *Gravissime*, ex Nourrio, & Langletio, qui addit, adverbium hocce scriptum esse per litteram majusculam initialem puncto præeunte.

d *Ad ignominiam sempiternam*. Anonym., & Heum. legunt: *ac ignominiam* &c.

4. Rescissis igitur actis tyranni [a], non TANTUM [b] in statum pristinum Ecclesia restituta est [c]; sed etiam multo clarius, ac

a *Rescissis igitur actis Tyranni* Jornandes Lib. I. de *Regn. succes.* ait: *Omne quod* (Domitianus) *constituerat, Romani irritum fecere*: Intellige imperante Nerva ejus successore.

b *Non tANtum*: In Ms. *non tam*: Scilicet interprete Langletio, *non tantum*. Al. *non modo*.

c *In statum pristinum Ecclesia restituta est*: Baluzius in prima editione hujus libelli anno-

floridius enituit : secutisque temporibus , qui-

notaverat , non hoc contigisse nisi imperante Nerva , sub quo revocati fuerunt Christiani ab exilio , qui sub Nerone , & Domitiano exulaverant , inter quos , testibus Eusebio , Alexandrino Clemente , & S. Hieronymo , fuit etiam S. Jo: Evangelista , qui ex Insula Pathmos in Ephesum est reversus , & confirmante Xiphilino ex Dione , quum ait : *Nervam , omnes , qui impietatis in Deos rei fuerant , absolvisse , exules in patriam reduxisse , edicto insuper vetuisse , ne cui liceret , aut impietatis , sive Judaicæ sectæ quempiam dehinc insimulari* . Idem Baluzius refutaverat ibidem Franciscum Zephyrum , qui ex illis Tertulliani verbis : *Tentaverat & Domitianus , portio Neronis de crudelitate : sed quia & homo , facile cæptum repressit , restitutis etiam quos relegaverat* . Verum in notis ad hunc locum , secundis curis cum Bauldrio communicatis , palidiodiam recantavit , dixitque . *Istud vero ego olim falsum putavi , ... Nunc vero existimo , hanc repugnantiam sic posse conciliari , ut dicamus , Domitianum quidem revocasse Christianos , in Insulas , aliave exilia deportatos ; sed illos indulgentia ejus potiri non potuisse ante Imperium Nervæ , quia statim post illam datam Domitianus excessisse videtur e vivis . Hæc porro Conciliatio mea non est ; sed Henrici Dodvvellii viri doctissimi* : Cui etiam subscripsisse videtur Gisbertus Cuperus , qui addit , Hegesippi Authoritatem apud Euseb. Lib. III. *Hist. Eccl.* Cap. xv. sed ego iterum assero , christianos , numquam ab exilio revocatos fuisse a Domitiano ; sed solummodo illos ab eo dimissos immunes , qui erant de Stirpe David , quosque ipse fuerat persecutus in initio sui Imperii . *Unde Domitianum* , Verba sunt Hegesippi L. C. *nihil mali contra eos decrevisse : sed tanquam abjectos , & simplices aspernatum , liberos illos quidem dimisisse , atque adeo destitisse a persecutione , quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat* &c. nec aliud quidpiam asseruit Tertullianus , ibidem laudatus ab Eusebio , qui propterea mox subdidit : *Scriptores porro , qui res gestas cujuscumque temporis litteris prodiderunt , narrant , Senatum Romanum , quum Domitianus jam quindecim annorum spatio functus esset imperio , & Nerva Regni gubernacula obtinuisset , suffragiis decrevisse , ut non modo honoris insignia , Domitia-*

quibus multi, ac boni Principes [d] Romani Imperii clavum, regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa [e], manus suas in orientem, occidentemque porrexit [f]:

mitiano dicata penitus tollerentur: verum etiam, ut omnes, qui e patriæ fuissent finibus immerito expulsi, non modo domum ad suos redirent, sed etiam opes, & fortunas suas denuo reciperent &c.

d *Multi, ac boni Principes*. Heum. legit: *multi boni Principes*, copula omissa. Tollius vero ait: *Nec hoc ex fide historiæ; sed mentiendum erat, ut persecutoribus omnibus tristem obtigisse mortem probaret; quum Traianus, & Antoninus tranquillissime vita defuncti sint*. *Videsis Sarisberiensis Polycraticum lib.*VIII. *pag.*646. &c. Præpropera tamen, ac inconsiderata censura, nam inter Ethnicos Principes ii, qui a Domitiano ad Decium usque Imperii clavum tenuere, vix; imo ne vix quidem, meliores invenies. Vide Diss.XXXI. Cap.II. §.VII.

e *Nullos inimicorum impetus passa*. Id est, fere nullos, ab iisdem Principibus lege lata motos, ob rationes, quas in eadem Dissertatione dedimus: *Boni quippe, malique* ut Aurel. Vict. ait cap.XIII. *de Cæsar.* num.7. *Nihil est; quod in diversum traduci nequeat moribus Præsidentium*. Sed non displicet Bauldrii conjectura, qui ait: *Quid? Quod germana forte Nostri scriptura fuerit: NONNULLOS INIMICORUM IMPETUS PASSA*. Vide tamen Lactan. lib.VII. cap.XXVI. seg.15. ubi ad hæc respexisse videtur.

f *Manus suas in orientem, occidentemque porrexit*: Lact. lib.VII. cap.XI, seg.15. *Manus suas in totum orbem, terra, marique porrexit*. & Epitom. cap.LI. seg.5. *Alas suas in Orientem, Occidentemque porrexit*. Vide Tertul. adv. Judæos cap.VII., & Euseb. lib.IV. Hist. Eccl. Cap.II., & VII

5. Ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio DEI [a] penetras-

a *Ut jam nullus esset Terrarum angelus tam remotus, quo non Religio Dei penetrasset*. Lact. Lib.IV. cap.XXVI. seg.35. *Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio*

trasset [b]; nulla denique MUNDI natio [c] tam feris moribus vivens, ut non suscepto DEI cultu [d] ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est [e].

---

gio tam remota, cui aut passio ejus, aut sublimitas majestatis ignota sit. Et ibidem Cap. XII. seg. 20. *Omnes Gentes, omnes linguæ nomen ejus venerantur, majestatem confitentur, doctrinam sequuntur, virtutem imitantur* &c. Lib. V. cap. XIII. seg. 5. *quum ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas; & gens, & regio unitis, ac paribus animis Deo serviat* &c.

b *Quo non Religio Dei*: In Ms. *con*.

c *Nulla denique MUNdi Natio*. In Ms. *nulla denique di natio*: supplerimus *mundi*, etsi legi etiam possit *Nulla denique hodie natio*: Langletius mallet: *mundi*, vel *Dei natio*. Baluzius mediam illam vocem semiexaratam negligendam putat.

d *Suscepto Dei Cultu*. Lact. lib. VII. cap. XXVII. seg. *Suscipere sapientiam cum vera Religione*. lib. V. cap. XIII. seg. 5. *lex divina suscepta sit* &c.

e *Longa pax rupta est*: Sulpicius Severus lib. III. Hist. 5. *Interjectis deinde annis octo, & triginta, pax Christianis fuit*. Scilicet post Severum Imperatorem, sub quo sextam recenset Ecclesiæ Persecutionem. Vide Diss. XXXI. Cap. II. §. IX., & Diss. XXII. Cap. II. §. VII. ubi a Domitiani obitu ad Decii Imperium annos ultra centum quinquaginta numeravimus.

CAPUT IV.

1. EXtitit enim post annos plurimos [a] execrabile animal DECIUS [b], qui vexaret

---

a *Post annos plurimos*. Vide ubi supra.

b *Execrabile animal Decius*. Chronic. Paschal. *Initio imperii Decii persecutione contra Christianos concitata* &c. Adde Prudent. Lib. II. *contra Symm*. Hilar. *contra Constan*., & con-

ret Ecclesiam. Quis enim justitiam [c], nisi malus, persequatur?

& *contra Auxent.* Ubi hanc cum Neroniana persecutione æquiparat. Icciro Noster quemadmodum de Nerone loquens *execrabilem Tyrannum* eum dixerat, & paullo infra *malam bestiam*]; ita heic Decium *execrabile animal* appellat. Vide etiam Epistol. inter Cyprianicas nunc XXXI. Al. XXXII. & ibidem Pamelii notas exponentes effatum illud: *Antichristi Metatorem*.

c *Quis enim justitiam*: Intellige veram religionem, virtutibus omnibus vallatam, ut sæpe de ea loquitur Lactantius; & præcipue lib. V. à Cap. V.

2. Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium [a], furere protinus contra DEUM cœpit [b], ut protinus caderet.

---

a *Ad illud principale fastigium*. Sic Lactantius lib. VII. Cap. XXVII. seg. 12.

b *Furere protinus contra Deum cœpit*. Euseb. Lib. IV. Hist. Eccl. Cap. XXXII. *Philippo, ubi septem annos regnaverat, successit Decius, qui odio quodam capitali, quo cum Philippo dissidebat, incensus, persecutionem contra Ecclesiam concitat*.

3. Nam profectus adversum Carpos [a], qui

---

a *Adversum Carpos*. Populi, ut Cellario visum est, *Transdanubium* supra Daciam. At Constantino Magno in *Oratione ad Sanct. Coetum Getæ*, vel *Ghoti*, qui ab Authore *Chron. Alexand.* appellantur *Franchi*, quos ejusdem fuisse originis, & facile eorum nomina permutata, ac confusa ex Zosimo docet Baluzius. *Carpianos* eos vocat Cluerius lib. IV. Cap. XVII. *Introd. Geogr.*, & ex eo Braudant L. G. verbo *Carpiani*: Scythiam incolunt Tyram inter, & Hypanim; tunc vero Daciam, Moesiamque trans Istrum occupaverant.

qui tum Daciam, Mœsiamque occupaverant, statimque cirumventus a Barbaris [b], & cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari [c]; sed exutus, ac nudus, ut hostem DEI oportebat [d], pabulum feris, ac volucribus [e] jacuit.

b *Circumventus a Barbaris .... deletus, nec sepultura quidem potuit honorari*. Aurel. Victor. *de Cæsar*. cap. XXIX. *Decii* (scilicet Pater, & Filius) *Barbaros trans Danubium persectantes, Bruti fraude cecidere*. Scaliger ad *Eusebii Chron*. Gruterus, Anna Fabri, & Jo. Arntzenius, oppositis invicem notis ista exponunt: pro *Bruti fraude* legentes *Abruti*, vel *Arbiti fraude*. Scilicet in *Abruto*, Mœsiæ urbe; ab aliis vero: non Bruti; sed Galli fraude, cecidisse dicuntur. In Chron. Alexand. ab aliquo Principum Decium patrem mactatum fuisse narratur. Zosim., Zonar., & idem Victor *in Epitom*. eum dicunt in Palude demersum, & ita Cæno obrutum, *ut nec cadaver ejus potuerit inveniri*. S. Cyprian. Lib. *de Lapsis ad Demetrianum*, & S. Hieron. *Ad cap. Zacch. XIV*. divino id contigisse judicio graviter asserunt; quod satis est ad hunc locum illustrandum.

c *Nec sepultura quidem*. Nonnulli mallent: *ne supultura quidem*; sed Lactantius utroque modo sæpe sæpius in suis operibus locutus est.

d *Ut hostem Dei oportebat*. Lact. *de Ira Dei* cap. XIX. seg. 6. *ut oportet Deum*: supple *esse*.

e *Feris, ac volucribus*. Maucr. Gallice vertit: *vulturibus*: *des vautours*.

CAPUT V.

NOn multo [a] post VALERIANUS [b] quoque non dissimili furore correptus, impias ma-

a *Non multo post Valerianus*. Decium inter, & Valerianum, Gallo, Hostilianoque Augustale Imperium, & Volusia-

manus in DEUM intentavit [c], & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit [d]. At illum DEUS novo, ac singulari pœnæ genere [e] affecit, ut esset posteris do-

---

stano, Galli Filio, Cæsareum, Senatus decrevit; At Æmilius Æmilianus, seu potius Julius Æmilianus summam potestatem, iisdem viventibus, a corruptis militibus impetravit. Inter eos Gallus, *quum regnum ejus* (Sic Eusebius ex Dionysio Lib. VII. H. E. cap. I.) *prospero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad voluntatem fluerent, sanctos, ac pios viros, qui pro pace ejus Imperii, proque vitæ incolumitate enixe Deum precabantur, crudeliter exegit, & propterea una cum illis, preces pro ipso ad Deum fusas, a se avertit.* Hanc tamen Ecclesiæ persecutionem nec idem Eusebius in Chronico, nec Augustinus, nec Sulpicius Severus, nec Orosius inter persecutiones, quas recensent, enumerare voluerunt; forte quia brevis, nec ultra quosdam angustos fines excessit. Vide Pagium ad An. Chr. CCLVI. n. XV. & seq. anno n. IV. Tillem. tom. III. Hist. Imp. p. 602. & 811. Ruin. Præfat. ad Act. MM. n. 50.

b *Valerianus.* Scilicet *Licinius Valerianus*, cognomento *Colobius*, vel ut alii legunt: *Lucinius*, aut *Lucinus*, genere nobilis, patre *Valerio*, ab exercitibus Imperator electus, & mox Augustus communi plausu dictus. Initio principatus sui adeo Christianos singulari quadam benignitate prosecutus est, ut ejus familia, ac domus, *plane Dei Ecclesia*, teste Dionysio Alexandrino, apud Euseb. Lib. VII. cap. IX. videretur. Sed magus quidam AEgyptius pravis eum consiliis pervertit. Vide Euseb. ubi supra.

c *Impias manus in DEUM intentavit:* In Ms. *In Deo.* Lactantius: Lib. IV. cap. XXIV. seg. 7. *Mortem intentatam non metuere.* Vide infra cap. XXI. 29. & 39. Livius L. III. cap. XLVII. *Intentans in Appium manus*, & Tacitum Lib. IV. Histor. cap. XLI. *Nec destitit Senatus manus intentare* &c.

d *Et multum, quamvis brevi tempore, justi Sanguinis fudit.* Non enim de solis Episcopis, & Clericis, ut Dodvvellius contendit Diss. XI: Cypr. cap. LIX.; sed etiam de universo Christianorum populo supplicium sumendum statuit; ut S. Cyprianus testatur Epist. LXXVI., olim LXXVII. ad Successum. Vide Euseb. H. E. Lib. III. cap. XI. & Diss. Nostram XXXI. cap. II. §. X.

cumentum, adversarios DEI semper dignam scelere suo recipere mercedem *f*.

e *Novo, ac singulari pœna genere*. In Ms. *pro pœne genere* ex Nourrio. Langletius ibidem legit *Poene*. Anonym. *prope pœne genere*. Heum. *prorsus pœne genere*.

f *Adversarios Dei semper dignam scelere suo recipere mercedem*. Sic in Ms. Aliqui typis editi arbitrio editorum legunt: *Adversarios Dei sæpe* &c. Putant enim aliquos saltem homines impune peccare; sed falluntur.

2. Hic captus a Persis [a], non modo imperium, quo fuerat insolenter usus [b]; sed etiam libertatem, quam cæteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissima [c].

a *Hic captus a Persis*. Sapor enim Rex Persarum eum ad colloquium invitavit, ad quod imprudens Imperator cum paucis profectus, subito ab hostibus comprehensus est, ac ferreis vinculis mancipatus. Vide Zosimum, aliosque historicos hac de re dissentientes, ut hocce dedecus tegant, apud Barthium ad Lib.II. *Statii Theb.* v.713. Ubi eorum dissidia, ac momenta revocantur ad trutinam.

b *Quo fuerat insolenter usus*. In Ms. *quod fuerat* &c.

c *Vixitque in servitute turpissima*. Sext. Aurelius Victor in Epit. cap.XXXIII. *Apud Parthos ignobili servitute consenuit*. Sic Trebellius Pollio in Valer. cap.VII. Eutropius Lib.IX. cap. VII. Orosius Lib. VII. cap. XXII. Festus Rufus in Brev. cap.XXIII.

3. Nam Rex Persarum Sapor is, qui eum ceperat [a], si quando libuerat [b] aut vehiculum ascendere, aut equum [c], inclinare sibi Roma-

a *Sapor is, qui eum ceperat*. In Ms. teste Nourrio *Sapores, qui*, ut edidit Baluzius, & post eum fere omnes usque ad Langletium, qui Nourrii lectionem est secutus.

b *Si quando libuerat*. Sic in Ms. Heum. suo more: *liberet*

manum jubebat, ac terga præbere [d], & imposito pede super dorsum ejus[e]: illud esse verum

ret. Al. *libuerit*, ut Noster habet infra cap. XXI. seg. 5.

c. *Aut vehiculum ascendere, aut equum*. Bauldrius primum *aut* delendum putat; notatque, Terentium, Cæsarem, Suetonium, ac Livium sæpe sic locutos fuisse, omissa præpositione *IN*: quamvis ea quoque interdum utantur.

d *Inclinare sibi Romanum, ac terga præbere*. Non ergo, ut olim Reginis mos erat, quæ fœminis inservientibus pede imposito, vehicula ascendebant, ut narrat Athen. Lib. VI. Neque Statorum more, qui, ut Suidas ait, Imperatorem in equum conscendentem manu sublevabat, aut flexo poplite suppedaneum præbebat; sed *incurvato dorso*, ut habetur in Actis S. Pontii Martyris cap. XXIV. *ac in cervice* Romani Imperatoris *pede posito, equo membra, Super locabat*. Sextus Aurel. Vict. in *Epit.* cap. XXX. *Nam quandiu vixit Rex ejusdem provinciæ, incurvato eo, pedem cervicibus imponens, equum conscendere solitus erat*. Quemadmodum Tamberlanes capto Bajazete, Turcarum Tyranno, uti dicitur consuevisse. In Ms. pro *Romanum* teste Langletio, *Romanam* legitur. Vide heic Cuperi notas summa eruditione refertas; & præterea nota; usitatum tunc temporis loquendi modum apud exteras Nationes, quæ non proprio nomine; sed appellativo, a Patria plerumque desumpto, degentes apud se vocabant. *Romanum*; *Diocletianum, Firmianum* &c.

e *Et imposito pede super dorsum ejus*. In Ms. ex Langletio: *& imposita supra*. Nourrio indigna Lactantio hæc phrasis visa est, quam tamen in Lactantio legere poterat Lib. IV. cap. XIV. ex versione latina Zacch. Prophetæ. *Imponite Cidarim mundam super caput ejus*. Cui si minus latina etiam lectio illa videbatur, & alienas saltem Cicero, Sallustius, Livius, Celsus, Virgilius, aliique, quos laudat Bunem. heic, & in Miscellan. Lipsiensibus, idonei Authoris nostri vades esse debuerant. Ii quippe semper adverbium *supra*, ut Nourriis in Ms. legit, cum accusativo construxerunt; & innumera possent exempla referri. Vide Vallam Lib. II. Eleg. cap LIII. Si autem, ut puto, eo difficultatis cardo devolvitur, ut Tò *supra*, vel *super* ideo cum verbo *impono* jungi nequeat, quia superfluit; idem quippe est *imponere*, ac *super*, seu

rum dicebat [f] (exprobrans ei [g] cum risu) non quod in tabulis, aut parietibus Romani pingerent [h].

seu *supra ponere* : poterat statim Nourrius ab hoc scrupulo animum suum liberare ex verbo composito *superimpono*, quod latinum est, & Livio, Plinioque usitatum. Quinimo Virgilius aliquid majus addit Æn. I. ℣. 65. ubi ait:

..... *Molemque, & montes insuper altos Imposuit.*

Et Q. Curtius Lib.IX. cap.VII. *Pedem super cervicem jacentis imposuit.*

f *Illud esse verum dicebat.* Gale addit: *spectaculum*. Langletius: *Triumphi genus*. Al. *Trophæum*. Al. *jugum*. Heum. nihil addendum censet; sed delet particulam negativam post pauca sequentem; ita ut sensus sit: *Illud esse verum, quod in tabulis, ac parietibus posset a Romanis describi, ut facti memoria conservaretur*; Sed merito ab omnibus hæc conjectura rejicitur, quum satis plana sit lectio, si intelligas; Valeriano cum risu exprobrasse Saporem, eidemque dixisse: *Hoc est verum; non quod in tabulis, aut parietibus pingi consueverat a Romanis.* Vide Columbi, Cuperi, Bunem., aliorumque notas ad hunc locum; & adde S. Gregor. Nazianz. *Invectiv. I. in Julian. Apost.*

g *Exprobrans ei* &c. Bauldrius : ex conjectura : *& exprobrans*.

h *In tabulis, aut parietibus Romani pingerent*. Capitolinus in Maximino cap.XII. *Jussit tabulas pingi ita, ut erat Bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, ut facta ejus pictura loqueretur.* Vide Plin. Lib.XXXV. cap.IV. Herodian. Lib.III. cap.IX. Aurel. Vict. *de V. I. Apost.* cap.LVI. Casaubon ad Vitam Pescennii Nigri cap.VI. &c.

4. Ita ille dignissime triumphatus [a], aliquam-

a *Ita ille dignissime triumphatus*. In Ms., teste Langletio : *Ita illa* Heum. fabulam vulgi, non certam historiam, exponi heic a Lactantio, facile credit, ut de Imperatore Diogene Guil. Tyrium fecisse ostendit ex Petavio Lib. VIII. cap.XVIII. *Ration. Temp.* Neminem tamen fore credam, qui pro inconsiderato saltem hocce effatum non habeat. In pri-

quamdiu vixit [b], ut diu barbaris Romanum nomen ludibrio, ac derisui esset.

primis, quia nullus ex antiquis historicis Valeriani dedecus in dubium revocari permittit; & quamquam prudenter illud taceant quidam ex Romanis cum Trebellio Pollione; tamen in *turpissima eum servitute* consenuisse non negant. Secundo quia Petavius, apud quem L.C. *de Romano Diogene* utraque sine examine narratur opinio; de Valeriano tamen clarissime dicitur Lib.V. cap.xii. quod a Sapore captus, *& vilis more Mancipii habitus est, ut quoties equum conscenderet, incurvato eo, pedem cervicibus ejus imponeret.* Quæ Sexti Aurelii victoris verba fere sunt, a nobis paullo superius laudata: eademque capite sequenti pucis immutatis iterum recitat.

b *Triumphatus*. Lactantius sæpe sic locutus est. Epit. CLI. extr: *Quum videant Deos suos per Crucem ab hominus triumphari*.

c *Aliquandiu vixit*. Vide Tabulam Chronol. Diss. xxii. cap. ii. §. vii.

5. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod, quum filium haberet imperatorem [a]; captivitatis suæ tamen, ac servitutis extremæ [b] non invenit ultorem; nec omnino repetitus est [c]. Po-

a *Quum filium haberet Imperatorem*. Scilicet Licinium Gallienum, quem, comperta patris captivitate, gaudio affectum supra modum fuisse, testis est Trebellius Pollio etiam a Baluzio heic laudatus.

b *Servitutis extremæ*. In Ms. ex Langletio: *extremame*: Intellige *summæ*, *maximæ*, ut apud Sallustium *in Jugarta* III. *extremæ dementiæ*: ut bene Bunem. annotavit.

c *Nec omnino repetitus est*. Scilicet a filio, aut a Senatu, Populoque Romano; Quamvis enim, teste Trebellio Pollione, vel Capitolino, aut Spartiano (non enim liquet quis eorum fuerit Author Valerianorum vitæ) Battriani, atque Hiberi, & Albani, & Taurofcythæ ad Romanos Duces scripsissent, auxilia polliciti ad Valerianum de captivitate liberandum; non tamen ab ullo eorum aliquid tentatum est pro Imperatoris libertate. Scio apud eundem hi-

historicum tres recitari Epistolas quorundam Regum, qui a Sapore Valeriani dimissionem postulabant; sed vereor ne & ii Reges recensendi sint inter illos triginta Tyrannos, de quibus ait Harduinus in selectis p.866. *qui ne quidem in homines forte extiterint*. Id noto, quod Gallienus mærentibus quibusdam, ac ægre ferentibus turpissimam Principis servitutem, responderit: *Sciebam patrem meum esse mortalem*: eisque dimissis nihil ultra adjecerit.

6. Postea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis [a], & exuta visceribus pellis, est infecta rubro colore [b], ut in templo [c] barbarorum deorum [d], ad

a *Direpta est ei cutis*. Heinsius scribendum jubet: *derepta*; Nam aliud est Latinis *diripio*, aliud *deripio*. Illud est idem, ac *rapere, & in partes distrahere*; hoc vero *detrahere, & auferre*. Subscribunt eidem Grævius, Burman., Bunem., & alii. Agathias Lib.IV. *de Reb. Gest. Justin.* p. 132. hoc actum esse significare videtur, non Mortuo; sed vivente adhuc eodem Valeriano, quod alibi non invenio. M. Constantinus in oratione ad SS. Cœtum, quam Janus Gravina Auditoribus suis non semel, dixit; Lactantii nostri opus esse, sic Valerianum; quasi præsentem compellavit: *Tu quoque, Valeriane, quum eandem crudelitatem in famulos Dei declarasses...., a Sapore, Persarum Rege, detracta tibi cute, condiri jussus, sempiternum calamitatis tuæ trophæum spectandum tribuisti*. Tò *EST* in Codice non apparet; sed loco ejus virgula quædam adest teste oculato Langletio. Vide Valesii notas ad *Const. Orat.* laudatam.

b *Infecta rubro colore*. Sic Plinius Lib.XXII. cap.xxv. *Capillos nigro colore inficere*. Et Ovid. *Elegia de Nuce* p. 568. v. 8.

> *Nostra notat fusco digitos ignuria fucco,*
> *Cortice contactas inficiente manus.*

Quod ideo factum puto, ut purpurea veste indutum Principem repræsentaret.

c *In templo Barbarorum Deorum*. Nisi Persarum Religioni; quemadmodum cæteris omnibus falsis Deorum cultibus contigit, mutatio illa obtigisset, de qua Clemens Alexandrinus *in Protrep.* mentionem

nem facit, heic Lactantius jure postulandus esset erroris; nam, Herodoto, & Strabone testibus, Persæ Templa non habebant, nec Deum alium colendum esse eorum Magi docebant, præter *Ens summum, supernumque*, cujus veluti Symbolum præcipuum apud eos erat Sol: Justinus ex Trogo Lib.I. cap.x. *Nam & Solem Persa unum Deum esse credunt*: & Q. Curtius Lib.IV. cap.XIII. De Dario, cum Alexandro prælium ineunte ait: *Solem Mithram, sacrumque, & divinum invocavit ignem*. Vide Th. Hyde *de Relig. Vet. Persar.* Cæterum, ut refert Clemens Alexandrinus ubi supra ex Berofo Lib. III. *Chald.* quum Artaxerxes Darii filius, & Ochi nepos, *primus Veneris Tanaidis statuam erexisset Babylone, & Susis, & Ecbatanis, & Persis, & Bactris, & Damasco, & Sardibus, eam ostendit esse colendam*. Hinc Templa, hinc Aræ apud Persas, more Græcorum, aliarumque Gentium; sicuti eruitur ex Philostr. *in Vita Apolon. Thyan.* & ex Stobeo p.VII. Ibidem quippe narratur, quod captus a Persis Agesilas, qui loco Xersis Mardonium occiderat, ductusque ante Regem, tunc bovem soli sacrificantem, jussus est, manum prunis imponere, quæ in Ara, prope Templum erecta, vehementer ardebant.

d *Barbarorum Deorum*. At inquies: quare Author noster Persarum Deos *Barbaros*, seu potius *Barbarorum*, appellat? Fateor heic divinandam potius esse, quam exponendam Lactantii mentem. Tria tamen afferam, quæ fortasse locum illustrare quodammodo possunt. In primis enim occurrit Lactantius ipse Cap.XXI. Lib.II. ubi de Sacrificiis ferarum Gentium loquens ait; *Sed de Barbaris non est adeo mirandum, cujus religio cum moribus congruit*. Quasi id heic etiam innuere velit: *Barbaris*, seu potius *Barbarorum*, efferatorumque hominum esse morem, sic appellandi Deos illos, quibus hujusmodi captivorum Principum suspendebantur exuviæ. Secundo dici potest, quod quemadmodum tam Græci quam Romani *barbarum* id omne vocabant, quod in sua ditione non erat; sic vel scriptor Romanus Persarum Deos, vel iidem Persæ Deos alienarum Gentium, *Barbaros*, seu *Barbarorum* vocabulo significarent. Id Ciceronis verba lib.II. *de Legibus*, ex Aristophanis sententia, confirmare videntur, ubi ait: *Novos vero Deos, & his colendis nocturnas pervigilationes, sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris Comœdia vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii, peregrini judicati e civitate ejiciuntur*. Nam aliquid cum Persarum *Mithra* habuis-

ad memoriam clarissimi triumphi [e] poneretur, legatisque nostris [f] semper esset ostentui,

buisse videtur commune hocce nomen *Sabazius*, aut *Sebesius*, quum in tabula marmorea, quæ extat adhuc in suburbanis ædibus Burghesiæ Domus ad montem Pincium sitis, quamque eruditorum virorum ingeniis exercendis fictam, aut erutam dixeris, Inscriptiones iste legantur a Maffejo illustratæ; in peculiari dissertatione:

N A M A

S E B E S I O

Et infra

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE.

Vel tandem, quia ipsum Mithram, ut refert Rhodiginus ad Statii Thebaid. Lib. I. fin.

....*Seu Persei sub rupibus antri*,
Indignata sequi torquentem cornua Mithram;

Sic figurabant Ethnici, ut ejus Simulachrum *Leonis* rictum præseferret, caput, veluti lunata quadam tiara haberet, Persarum more, redimitum, & utraque manu bovis, mox immolandi, cornua sub sinistro genu premeret. Unde Tertullian. advers. Marcion. Lib. I. cap. XIII. *Sicut aridæ, & ardentis naturæ Sacramenta Leones Mithræ philosophantur*. Ejusdem milites, & ministri in spelæo initiati, idem Tertull. dicit Lib. *de Coron.* cap. XV.; quæ omnia, missis etiam aliis quibusdam ignotis Persarum diis, aliarumque Belluarum figuris, Mithræ, seu solis effigiem circumdari solitis, jam satis erant ad feritatem quandam exteris nationibus præfigurandam, ut apud eas barbaris accenserentur.

e *Ad memoriam clarissimi triumphi*: Etiam heic pro *clarissimi* Ms. habet *Karissimi*. Constantinus M. in Epistol. ad Saporem Persarum Regem data, cujus exemplar extat apud Euseb. Lib. IV. *de Vita Const.*, sic Regem illum alloquitur cap. XI. *In hoc numero*, scilicet Ecclesiæ Persecutorum, *illum unum fuisse arbitror, qui divina ira, tamquam aliquo fulmine ex hoc loco dejectus, in vestras oras delatus est, in patefacto de sua famosa turpitudine triumpho nostro*.

f *Legatisque nostris*. Si ad præcedentia animum applices, statim videbis, Authorem hunc Italum esse non solum; sed & Ro-

tui [g], ne nimium Romani viribus suis fiderent, quum exuvias capti principis [h] apud Deos suos cernerent [i].

Romana civitate donatum; quomodo enim *Nostros* diceret Legatos Romanos, si & ipse Romanus non esset? Nulla heic tergiversatio eorum caussam fulcire poterit, qui Lactantium Afrum natione dicunt; Provinciæ enim Imperio Romano subjectæ, sicuti tunc erat Africa, Legatos suos Romam mittere consuerant, secundum caussas, quas habebant, eosque jure nostros vocabant illius Provinciæ Cives; non autem eadem appellatione nostros dicere poterant Legatos, qui a Senatu, vel ab Imperatore ad exteras Gentes, & Reges mittebantur; Siquidem non levis inde oriri potuisset rerum agendarum, dicendarumque perturbatio, si unicuique Genti, & Nationi, quæ Populi Romani Imperio regebantur, *nostros* appellare licuisset Reipublicæ, ac Imperii Ministros.

g *Semper esset ostentui*. In Mss. teste Langletio *ostentus*. Eodem sensu, ut scilicet eis ostenderetur.

h *Quum exuvias capti Principis*. Sic exuviæ dicuntur pelles bestiarum, & spolia serpentum apud Nonium v. *exuviæ*.

i *Apud Deos suos cernerent*. Pronomen heic adhibitum secundam firmat conjecturam ex iis tribus, quæ superius exhibuimus; respicere enim videtur Romanos Legatos, qui quum ad Persarum Reges mittebantur, antequam eum alloquerentur, in Templo aliquo, suis Numinibus erecto, recipi consueverant. Nam quemadmodum apud Persas Legati, ad se venientes, talento Babylonico, armillis, acinace, torque, ac veste, quam δωρυφορικὴ vocabant, donabantur: Sic Romam missi, extra Urbem in æde, Saturno sacra consistebant, donec eorum nomina scriberentur a Præfectis ærarii, & munera quæ *Lautia* dicebantur acciperent a Quæstoribus. Vide P. Ævodium in Lib. *rerum ab omni antiquit. judicat. Titul. DE LEGATIS*.

7. Quum igitur tales pœnas de sacrilegis DEUS exegerit, nonne mirabile est, ausum esse quemquam postea, non modo facere, sed etiam cogitare adversus majestatem singu-

gu-

gularis DEI [a], regentis, & continentis universa [b]?

a *Adversus majestatem singularis Dei*. Lactantio nihil frequentius hac Ciceroniana phrasi.

b *Et continentis universa?* Cicer. Lib.II. *DE NAT. DEOR. Omnia complexu suo coercet, & continet*.

CAPUT VI.

I. AURELIANUS [a], qui esset natura vesanus [b], & præceps [c], quamvis captivitatem Valeriani meminisset: tamen oblitus sceleris ejus, & poenæ, iram DEI crudelibus factis lacessivit [d]. Ve-

a *Aurelianus*. Quem Consulum indiculi *L. Domitium Aurelianum*. Reland. *Valerium Aurelianum*: in Lap. Gudian. Tom. III. p.78. *Valerium Aurelium*, parentibus modicis ex Vopisco, seu patre, Aurelii cl. Senatoris, Colono, Daciam inter, & Macedoniam ex Vict. *in Epit.* natum dicunt; non Valeriano; sed Quintilio, Claudii Imperatoris germano fratri, in Imperio successit, & primus inter Augustos Diademate caput redimivit, gemmisque, & aurata veste, adhuc Romanis inusitata, usus est. Ex Vict. in *Epitom.* Vide tamen Vales: *ad Amm. Marcel.* Lib. XXI. cap.1. & Spanem: *de usu Numis*. Diss.XXII. p.388., & Casaub. ad *Lampr.* cap.XXIII. in *Heliogab.* Heum. ait: *Leges mecum*: *Aurelianus*, AT: *si relegas*, *quæ præcedunt proxime*. Optime si etiam pro *qui* legas *quum*: Ut sensus sit: *At Aurelianus*, *quum esset* &c.

b *Natura Vesanus*. Vopiscus apud Baluz. heic ait: *Aurelianus*, *quod negari non potest*, *severus*, *truculentus*, *sanguinarius*, *fuit Princeps*; & Eutrop. Lib.IX. de eodem inquit: *Vir in bello potens*, *animi tamen immodici*, & *ad crudelitatem propensioris*.

c *Et prÆCePS*. In Ms. ex Langletio: *prebs* quasi *Vesanus Princeps*: sed copula præcedens firmat Baluzii correctionem, quam alii omnes retinent.

d *Iram Dei crudelibus factis lacessivit*. Mota nimirum, & con-

& concita Christianorum persecutione; unde Sext. Aur. Vict. *in Epitom.* ait: *Fuit sævus, & sanguinarius, & trux omni tempore.* Non igitur solummodo intentata; sed numquam executioni mandata, ut perperam Dodvvellius asserit. Vide Baron. ad An. Chr. CCLXXIII. & CCLXXV. Pagium in Crit. ad an. CCLXXII. a n. IV., & S. Leon. M. Serm. II. *de Pentec.*

2. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit [a]; sed protinus inter initia sui furoris exstinctus est [b].

a *Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit.* Dodvvellius in sæpe laudata Diss. XI. Cyprianica hinc male infert: *Nullos itaque ejus decreto factos martyres, necesse est*; Nam Aureliani mens erat Christianam religionem de medio tollere, penitusque abolere; hoc perficere non potuit: Non me latet, eam olim fuisse Baronii sententiam in notis suis ad Martyr. Rom. X. Kal. Febr. n. *e*. ut assereret, sævam quidem, sed brevem hanc fuisse persecutionem ex Oros. Lib. VII. cap. XXIII., & etiam ex Euseb. Lib. VII. cap. XXIV. *Hist. Eccl.* Re tamen melius, seriusque perpensa ad an. Christ. CCLXXIII. sub finem n. VII. illam retravit dicens: *quod diximus in nostris notis, nonnisi ultimo anno ejus Imperii Aurelianum in Christianos sævisse, alios nimis facile consectati, ex his ducimus corrigendum.* Scilicet ex S. Symphoriani actis, in quibus Aureliani edictum contra Christianos recitatur; quamvis Ruinartus in eis loco *Aureliani*, *M. Aurelii* nomen reponendum putet, Pagio plaudente, qui hanc persecutionem an. CCLXXV. inchoatam judicat.

b *Inter initia sui furoris extinctus est.* Constantinus *in Oratione ad Ss. Cœtum* cap. XXIV. *Tu item Aureliane, fax omnium vitiorum, quam præsenti, & perspicua divini numinis vindicta, dum furore percitus Thraciam percurreres, in medio viæ publicæ cæsus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti.*

3. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant [a], & jam Cœ-

nofrurio [b], qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus [c].

a *Nondum ad provincias ultiores scripta pervenerant*. Scilicet ad provincias ultra Thraciam, ad quas jamdiu Romani Imperii tunc sese vires extenderant.

b *Et jam Cœnofrurio*. Sic Sex. Aurel. Vict. cap. xxxv. *de Cæsarib.* n. 8., quamvis in Epit. dicat: *Inter Constantinopolim, & Heracleam*, quod in idem recidit nam Eusebius in Chron. ad an. Chr. CCLXXVI. iisdem verbis repetitis addit: *In Coenophrurio viæ veteris occiditur*; & Vopiscus: *Quum iter faceret apud Coenophrurium, mansionem, quæ inter Heracleam, & Bisantium* &c.

c *Falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus*. Vopiscus: *malitia*, inquit, *notarii sui*, Eutropius: *domestici dolo*. Sext. Aur. Vict. in Epit. *Fraude servi sui, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius nomina pertulit adnotata, falso manum ejus imitatus; tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem intersecutus est*. Adde ex Eusebio ubi supra: *quum paullo ante prope ipsum, comitesque ejus fulmen e Cælo missum decidisset*.

4. Talibus & tot exemplis coerceri posteriores tyrannos oportebat. At hi NON modo [a] territi non sunt, sed audacius etiam contra DEUM confidentiusque fecerunt [b].

a *NON modo*. Prima vox in Ms., teste Langletio, desideratur.

b *Contra Deum .... fecerunt*. I. E. *egerunt*. Sic M. Cæl. in Epist. ad Cicic. Lib. X. Ad Att. ix. *Contra victorem Cæsarem facere* &c.

CAPUT VII.

1. DIOCLETIANUS [a], qui scelerum inventor, & malorum machinator fuit [b], quum

quum disperderet omnia, nec a DEO quidem [c] manus potuit abstinere.

a *Diocletianus*. Is in antiquis monumentis nominatur C. Aurelius, Valerius, Diocletianus, Jovius, & apud Gruter. p. LXI.

IMP. CAES. C. VALERIO.
DIOCLETIANO. PIO. &c.
Apud Fabrettum vero pag. 747. n. 546.
IMP. CAES. L. VALERIO.
DIOCLETIANO. PIO. &c.

Anulini Senatoris, aut Libertinus, ut quidam volunt, aut scriba, ut alii, aut scriba simul, & Libertinus, ut nonnulli dicunt, patre ignoto genitus; matre vero, ut inquit Victor in Epit. *pariter, atque Oppido nomine Dioclea; quorum vocabulis, ubi orbis Romani potentiam cepit, Grajum nomen in Romanum morem convertit*, & Diocletianus dictus est. Is Impp. Caro, & filiis ejus Numeriano, & Carino de medio sublatis, tam Orientis, quam Occidentis Imperator renunciatus est.

b *Qui scelerum inventor, & machinator fuit*. Perpende Lactantii phrasim, & disserendi facundiam Lib. VII. cap. XXIV. seg. 3. *Machinator omnium malorum*. Epitom. cap. LXXII. seg. 2. *author, & machinator malorum* &c. Quamquam prioribus Imperii sui annis non solum Christianos non sit persecutus; sed potius eos dilexerit, Provinciis præposuerit; in Palatio receperit, uxoremque Christianam habuerit, nomine Serenam, de qua in Martyrol. Rom. ad XVII. Kal. Septem. ubi vide notas Baron.

c *Nec a Deo quidem*. Langl. mallet: *ne a Deo* &c. Sed utraque lectio est Nostro familiaris.

2. Hic orbem terræ, simul & avaritia, & timiditate subvertit [a]. Tres enim participes [b] regni sui fecit, in quatuor partes orbe di-

a *Avaritia, & timiditate subvertit*. De utroque Diocletiani vitio infra ad cap. VIII. dicemus.

diviso [c], & multiplicatis exercitibus [d], quum singuli eorum longe majorem [e] numerum militum habere contenderent, quam priores principes habuerant, quum soli rempublicam gererent.

b *Tres enim participes*. Nimirum Maximianum cognomento Herculium; Constantium cognomento Chlorum, & Maximianum cognomento Galerium, de quibus infra.

c *In quatuor partes orbe diviso*. Nam sibi, qui Nicomediæ in Bithynia sedem fixerat, Orientem regendum reservavit; cuncta, quæ trans Alpes erant, Constantio commisit, Augustæ Trevirorum, ut plurimum commoranti. Africam, & Italiam Herculio, qui Mediolani degebat, assignavit. Illyricum vero ad usque Ponti fretum Galerio dedit, cui regia sedes Sirmium fuit in Pannonia. Vide Aurel. Vict. *in Epitome*, ubi hujus divisionis caussam eam fuisse dicit, quia *moles Bellorum acrius urgebat*. Facta tamen est temporis successu, ut infra dicemus.

d *Multiplicatis exercitibus* &c. Notandus sane militum ingens numerus, quo tamen non crevit; sed potius detrimentum sensit Imperium.

e *Longe majorem*. Ex Anonym. in Ms. *longe Majore*.

3. Adeo major esse cœperat [a] numerus accipientium, quam dantium, ut enormitate indictionum [b] consumptis viribus colonorum, desererentur agri, & culturæ verterentur in Sylvam [c].

Et ut

a *Adeo major esse coeperat*. In Ms. *Adeo majores esse cœperant*.

b *Ut enormitate indictionum*. In Ms. *Inbormitare indictionum*. Scilicet *enormitate stipendii*, ut ait Spartianus in Caracalla; vel *Palatinæ exactionis*, ut *in Novellis Theodosii Tit. XLV.* Id est tributorum, ut Baluzius explicat ex Salviano.

c *Et culturæ verterunt in Sylvam*. *Et ut* &c. In Ms. ex Anonym. nulla inter hæc apparet distinctio. Tollius pro *culturæ*

turæ legit *culta rura*; At nihil mutandum quum Cicero culturæ vocabulum usurpet pluribus in locis, præsertim *de leg. Agar.* ubi ait: *Agros desertos a Plebe, atque a cultura liberorum hominum esse, non oportere*. Et Colum. *de R. R.* Lib. XI. cap. I. n. 30. *Cæteræ quoque, quæ sequuntur, culturæ* &c. Et Libr. eodem c. II. n. 3. *Auspicari Culturarum Officia*.

4. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ [a] multi præsides [b], & officia plura singulis regionibus [c], ac pene jam civitatibus incubare [d], item rationales multi [e], & magistri, & vica-

a *Provinciæ quoque in frusta concisæ*: Quæ essent ab Augusto olim constitutæ Romani Imperii per orbem Provinciæ diligentissime descripsit Panvinius in suo libello *de Imperio Romano*, ubi etiam de divisionibus, quæ postea sunt factæ luculenter agitur. Vide etiam Sigonium in *Notitia utriusque Imperii*, & Sexti Rufi *Commentaria* a Cellario edita unacum Schonhonii Provinciarum libello.

b *Multi Præsides*. Panvinius, ubi supra in Imperio occidentali enumerat Præsides unum supra triginta; in occidentali vero quadraginta, assignatis unicuique locis suæ jurisditionis intra certos Provinciæ limites.

c *Et plura Officia singulis Regionibus*: Intellige *judicum* cujuscumque generis ministros, quibus acta publica servandi officium demandatum erat: puta Tabularum publicarum custodes, quos Cancellarios, & Notarios dicimus. In actis Sancti Symphoriani Martyris, de quibus supra meminimus, sic habetur: *Judex* ait: *Iste non solum sacrilegus; sed etiam rebellis conatur existere. An non hujus loci Civis sit, dicat Officium. Dictum est ab Officio: Hinc est, & quidem ex nobili familia .... Ea ergo ab Officio recitentur. Lectum est ab Officio &c. Sic sæpe in aliis SS. Martyrum Actis*. Vide Epist. Trajani, quæ inter Plinian. Lib. x. est ultima.

d *Jam Civitatibus incubare*: Vide supra cap. III seg. 1. (c)

e *Item Rationales multi*. Id est: Fisci Procuratores. In Cod. Lib. III. xxvi. Leg. v. *Ad*

vicarii præfectorum[f], quibus omnibus[g] civiles actus[h] admodum rari, sed condemnationes tantum, & proscriptiones frequentes[i]: exactiones rerum innumerabilium[k], non dicam,

Ad Fiscum pertinentes causas Rationalis decidat. Et Lampridius *in Alex. Severo*. *Ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est, Rationales, ordinate nomina eorum proponebat.* Vide Cujac. L. VIII. *Obser.* c. XXXII., & Vales. ad Eus. *Hist. Eccl.* Lib. VIII. cap. IX.

f *Et Magistri, & Vicarii Præfectorum.* Quamvis in historia Romana hujusmodi vocabula sæpe occurrant, & viros designent Reipublicæ administrandæ caussa peculiaribus officiis decoratos, deputatosque; non semper tamen idem vocabulum idem etiam munus in singulis designat; ubi enim Romanum Imperium inclinari cæpit, ii quoque, qui vilioribus ministeriis præsidebant, & qui eorum vices, ipsis absentibus, gerebant, Magistri, Præfecti, ac eorundem Vicarii appellabantur. Hinc difficile est ex puris hisce nominibus eruere quod hominum genus heic indicare velit author; sed ex iis, quæ mox sequuntur, optime intelligitur, eos fuisse judices, eorumque ministros, quibus forenses causas terminandi munus demandatum erat. Vide Fenest. & Pomponium Leti *de Magistr. Rom.*, & Gothofrid. ad C. Theod. Lib. II. *de Jure Fisci* &c.

g *Quibus omnibus*. Gale mallet: *sub quibus omnibus*.

h *Civiles actus*. Scilicet judiciales causarum illarum processus, quibus civiles, privatæque controversiæ terminandæ erant; utpotete qui potius suæ, & Principum suorum, quam civium, quibus præerant, commodis, & utilitatibus serviebant; unde sequitur.

i *Sed condemnationes tantum, & prescriptiones frequentes*. Bauldrius inquirit: *si actus civiles rari, quomodo condemnationes, & proscriptiones tantum?* Id est; Quomodo nil aliud, quam condemnationes, & prescriptiones agebant? Sed quæstio puerilis est: nam *Tò tantum* respicit adjuncta: nimirum: admodum rari erant actus civiles, & frequentes tantum erant proscriptiones, & condemnationes. Illud perfunctiorie; hoc sedulo ab iis judicibus exercebatur officium.

k *Exactiones rerum innumerabilium*. Scilicet rerum om-

cam, crebræ; sed perpetuæ [l], & in exactionibus injuriæ NON ferendæ.

omnium, quæ potestate publica exigebantur. Cicero Lib.II. de Legib. *eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione*. Qui id publico nomine exercebant, *exactores* vocabantur; unde Cæsar.Lib III. *de Bell. Civil.* ait: *erat plena Lictorum, & Imperiorum provincia, conferta Præfectis, atque exactoribus*. Quæ hic optime quadrant.

l *Non dicam crebræ sed perpetuæ*. Lactantio nostro familiaris loquendi modus. L.III. cap. XXII. seg. 9. *Non dicam mutorum; sed pecudum*.

5. Nec quoque [a] tolerari possunt, quæ ad exhibendos milites [b] spectant [c]. Idem insatiabili avaritia, thesauros nunquam minui volebat; sed semper extraordinarias opes, ac largitiones congerebat [d], ut ea, quæ recondebat, integra atque inviolata servaret. idem

a *Nec, quoque*. Al. *hæc* &c. uti habetur in Ms. Cod. quam lectionem puci admodum propugnant. Et re vera si bene locus inspiciatur, & cum antecedentibus conferatur; *Nec quoque* videtur legendum. Allixius mallet: *Haud quoque*. Anony. *Hæc utique*.

b *Ad exhibendos milites*. Baluzius, & post eum alii putant heic Authorem nostrum loqui de pecunia, quæ a Ministris Principum colligebatur pro Militum stipendiis, ex eo, quod apud Jurisconsultos verbum *exhibeo* usurpetur pro *alimenta suppedito*. Magis tamen aliis placet Heum. explicatio; ut scilicet sensus sit de militibus ipsis conscribendis, ut paullo infra de operariis, & artificibus exhibendis constat. Sæpe enim Populi de frequenti militum delectu ad Principes querelas detulerunt; nam Civitates & loca incolis, agri colonis destituebantur, ut paullo superius Noster innuit; unde Cicer. *de Provinc. Consul.* *III. Jam vero exercitus ille noster superbissimo delectu, & durissima conquisitione collectus*,

c *Spectant*. In Ms *expectant*. Sæpe hanc variationem in Cod. Bon. deprehendimus.

d *Opes, ac largitiones congerebat*. Sic Lact. in Epitom.

6. Idem quum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem [a], legem pretiis rerum venalium statuere [b] conatus est.

a *Idem quum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem* &c. In Ms. *immensa* Anonymo teste. Principum, ac ministrorum ejus, qui annonæ præsunt, avaritia, & negligentia sæpe caritas in Populos inducitur, quum etiam abbundantia rerum omnium facili negotio frui possent. Vide Cicer. *in Verr.* Lib.IV. fine, & Amm. Marcell. Lib. XXII. ubi ait de vilitate rerum venalium loquens: *quæ nonnumquam, secus quam convenit ordinata, inopiam gignere solet, ac famem.* Hinc in exercitibus desertiones, in Civitatibus tumultus, in Provinciis seditiones, ubique querelæ, & nonnumquam Præfectorum strages, & Principum parricidia intentata non solum, sed exercita partim vidimus, partim audivimus, & in Nostro Natali solo contigisse ultra centum ab hinc annis quid simile, quis nescit?

b *Legem pretiis rerum venalium statuere.* Res plena periculi ista hæc est, nisi ab integerrimo, expertissimoque homine fiat. Arnob. Lib.I. *Sæpe numero maximos Annonæ fuisse proventus, vilitates, atque abundantias rerum tantas, ut commercia stuperent omnia, prætiorum authoritate prostrata.* Vide Cicer ubi supra, & Aristot. L.VI. Politic. cap.VIII.

7. Tunc ob exigua, & vilia multus sanguis effusus, nec venale quicquam metu apparebat [a], & caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa, post multorum exitium, solveretur [b]. Huc

a *Nec venale quicquam metu apparebat.* Heum. pro *metu*: legit: *tum* sed nihil mutandum censeo; videmus enim, quod ii, apud quos res potissimum cibariæ prostrant: si vili pretio ea vendere, aut gratis dare quibusdam magistratibus ultra consuetudines coguntur, metu pænarum, eas potius occultant, & distrahunt, quam venales exhibeant.

b *Donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur.* En harum legum exitus, non sine latorum earumdem dedecore; & periculo.

8. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio, in exhibendis operariis [a], & artificibus, & plaustris, & omnibus [b], quæcunque sint fabricandis operibus necessaria.

a *In exibendis operariis*. Bauldrius anteponit copulam, quam excidisse putat.

b *Et plaustris, ET omnibus*. Tollius legit *omnibusque* Bunem. *& omnibus*. Quam lectionem libenter amplectimur utpote magis congruam, & Ms. accomodam.

9. Hic basilicæ [a], hic circus [b], hic moneta [c], hic armorum fabrica [d], hic uxori domus, hic filiæ. Repente magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum con-

a *Hic Basilicæ*. Thomas Gale putat legendum esse heic, & in sequentibus: *Hinc*. Bunem. inquit: *sunt hi tituli, & prætextus indictionum, cum exclamatione quadam Authoris*. Sed nihil tale. Particula enim *hic*, hocce modo usurpata, est adverbium loci distributive sumptum, & idem valet ac *heic*. *Basilicæ* autem in plurali, & Templa, & Regias ædes, caussarum cognitioni destinatas, possunt heic significare.

b *Hic circus*. Ubi proprie fuerit Diocletiani circus ædificatus, nescimus; Romæ certe nullus est ab eo dictus. Quamvis ex iis, quæ sequuntur, de Nicomediensibus ædificiis a Diocletiano excitatis, hæc omnia intelligi debere videantur.

c *Hic moneta*. Scilicet ædificium, inquo nummi signabantur. Sidonius in Carm. de Narbone XXIII. *Delubris, Capitoliis, Monetis* &c.

d *Armorum fabrica*. In Notitia Imperii R. dicitur; Magister officiorum in occidente præesse Fabriciis VIII. in Galliis; nempe Argentoratensi armorum omnium: Matisconensi Sagittariæ: Augustonensi Loricariæ: Suessionensi Balistariæ, & Scutariæ; & Clibanariæ &c.

e *Magna pars Civitatis exceditur*. Bauldrius legendum putet: *Magna parte*. Gale *exeditur*. Al. *exciditur*. Al. *deseritur*; sed nihil immutandum

Conjugibus, & liberis, quasi urbe ab hostibus capta [f].

dum; *excedi* enim heic valet: *cogitur potrios muros excedere*. Lucan. Lib.I. Pharf. V. 498. Liv. Lib.II. xxxvii.

f *Quasi Urbe ab hostibus capta.* Sic edidit Baluzius, sic Nourrins, sic Langletius, sic Anonym. qui Ms. viderunt; ideoque nescio, qua ratione Columbus, & Cellar. ediderint: *quasi urbe hostibus capta.*

10. Et quum perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum, non recte facta sunt, ajebat [a]; alio modo fiant. Rursus dirui, ac mutari necesse erat, iterum fortasse casura. Ita semper dementabat [b], Nicomediam studens urbi Romæ coæquare. [c] Jam illud prætereo, quam multi perierint possessionum, aut opum gratia.

a *Non recta sunt, ajebat.* In Ms. *agebat*: Ex Langletio, & Anonymo.

b *Ita semper dementabat.* Bauldrius: *an dementabatur?* Item *demutabat*. Heum. *dementiebat*. Micg. *emendabat*. Bunem. *dementibat* potius legisset si quid mutandum esset; sed lectionem Ms. servandam censuit, & merito: *dementare* enim est amentem facere, vel etiam fieri. Lact. Lib. IV. cap. xxvii. seg. II. *Ecce aliquis instinctu Dæmonis, percitus dementit, effertur, insanit.* Intransitive usurpatur, seu etiam helliptice, relicto *sese*. Apulejus in Mag. *Confessa est*, ait, *sese mea magia, in amorem inductam, dementare*.

c *Nicomediam Studens urbi Romæ coæquare.* Thermas felices Romæ Diocletianus, & Maximianus construi jusserunt, quæ non solum ad lavacra; sed potius ad omnium liberalium artium disciplinas tradendas deservirent, opus vere mirandum non tantum ob ædium amplitudinem, quantum ob magnificentiam earundem: quarum rudera partim in Sacras ædes, partim in horrea publicæ rei frumentariæ jam diu commutata sunt: quæ terra opplentur, nuper mirati sumus. Similia ædificia, aliaque heic ab Authore

re-

recensita, Nicomediæ ædificanda curaverat Diocletianus, illam huic coæquare studens accitis undique bonarum artium peritis; sed frustra; nam re infecta inde discedere coactus fuit, ut infra videbimus. In. Ms. *quoequare*.

11. Hoc enim usitatum, & fere licitum consuetudine malorum [a].

a *Et fere licitum consuetudine malorum*. Subintellige: *Principum*. Confer historiam Nabotis III Regum cap.xxi.

12. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quod ubicunque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium, jam parata domino calumnia, & pœna capitalis, quasi non posset rapere aliena sine sanguine [a].

a *Quasi non posset rapere aliena sine sanguine*. Scilicet jure fisci, aut Caducario. Patrimonia enim eorum, qui crimine Majestatis damnati sunt, vel illorum, quibus non supersunt hæredes, Principi debentur.

CAPUT VIII.

1. QUid frater ejus MAXIMIANUS [a], qui est dictus Herculius [b], non dissimilis ab eo [c]? Nec enim possent in amicitia tam fideli cohærere [d], nisi esset in utro-

a *Frater ejus Maximianus*. Frater non natura; sed Imperii consortio; Nam, ut Sext. Aurel. Victor *de Cæsar.* cap. xxxix. ait: *Maximianum statim fidum amicitia, quamquam Semiagrestem, militia tamen, atque ingenio bonum, Imperatorem jubet*. Eum Bapt. Egnatius ortum tradit in Pannonia

utroque mens una, eadem cogitatio [e], par voluntas [f], æqua sententia [g]. Hoc

nonia prope Sirmium; sanguine libertino, ibidemque Palatium erexisse, ubi quondam parentes ejus opera mercenaria exercuerant. Vide Mamertinum *in Panegyr.* eidem dicto, & S. Ambros. Epist. XLIII., qui ex eo sic ait: *Diversum sanguinem, ut inquit Mamertinus, affectibus miscuistis. Non fortuita in vobis est germanitas; sed electa.* Plura Columbus, quem consule si lubet.

b *Qui est dictus Herculius.* In Ms. ex Nourrio: *qui dictus Irculius.* In hoc quippe Codice fere omnes *h* omittuntur, eodem teste Nourrio. Victor, ubi supra: *Huic postea cultu Numinis, Herculei cognomentum accessit; uti Valerio Jovium* &c. Mamertinus vero in Panegyr. *Neque enim fabula est, nec opinio de fama veterum sæculorum; sed manifesta res, & probata, sicut hodie quoque testatur Herculis ara maxima, & Herculei Sacri Custos familia Pinaria principem illum tui generis, ac nominis Palantea moenia adiisse victorem* &c.

c *Non dissimilis ab eo?* Gale, & Cuperus delendam heic putant notam interrogationis, quam anteponi mallent, ut fecit Langletius, quasi primum membrum hujus periodi esset interrogatio; secundum vero esset responsio. Heum. & Bunem. insuetam, seu insolentem hanc constructionem, & dictionem appellant, & primus legit. *Nihil similius eo.* Mamertinus ubi supra: *Vos hoc sponte facitis, quos in summis rebus æquavit non vultuum similitudo; sed morum.* Cic. Lib. I. de Orat. *Hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem.* Et de Clar. Orat. *Nil tam dissimile, quam Cotta a Sulpicio.*

d *Fideli cohærere.* Ms. *fidele quo hærere.*

e *Nisi esset in utroque mens una, eadem cogitatio* &c. Sallustius in Catil. *Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Aliter tamen, ut bene notavit Baluzius, sentire visus est Julianus Apostata in libro de *Cæsaribus*, ubi ait: Deos quidem admiratos esse, illorum concordiam; sed unum eorum acerbe, & intemperanter se gerentem, rerum novarum cupidum, & perfidiæ plenum; neque in omnibus tetrachordo concordem, a Sileno admissum non fuisse in convivium Imperatorum. Is videtur Maximianus fuisse ob ea, quæ infra ab illo patrata contra alios visuri sumus. In Ms. pro *mens una* legit Langletius *mensura*. Ubi etiam vidit, quod iisdem manu, & atramento littera N superposita est litteræ R.

f *Par voluntas.* Walch. *par voluptas.*

g *Æqua sententia*: Intellige similem, vel æqualem.

2. Hoc solum differebant, quod avaritiæ minori altero fuit plus, majori vero minus [a], sed plus timiditatis; plus vero animi, non ad bene faciendum, sed ad male.

a *Avaritiæ minori altero fuit plus, majori vero minus* &c. Omnibus, qui in hunc libellum annotationes scripserunt, locus iste corruptus merito visus est, & pluribus modis eum sanare tentarunt. Mihi vero ista hæc lectio sic restituenda videtur, ut prima vox *avaritia* mutetur, legaturque *avaritiæ*. Sensus autem sit: Utrumque Imperatorem, scilicet Diocletianum Jovium, & Maximianum Herculium fuisse timidos, & avaros; differre tamen in eo, quod unus alio magis fuerit avarus, alter magis timidus. Sic Lact. Lib.III. cap.VII. *In illa priori parte, ut periculi minus, ita plus difficultatis est .... Hic ut periculi plus, ita minus difficultatis*. Jam initio hujus capituli Author dixerat: Diocletianum avaritia simul, & timiditate orbem terræ subvertisse: heic vero statim de Herculio subdit: *Nam quum Imperii sedem teneret Italiam .... non erat in custodiendis opibus diligens*. Et infra cap. XXIX. de eodem loquens, ait; *Thesauros invadit. donat, ut solet, large* &c. Ergo Hic minus avarus, magis timidus; ille minus timidus; sed magis avarus fuit; quamvis in sceleribus perpetrandis Diocletiano audacior esset Maximianus.

3. Nam quum ipsam [a] Imperii sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimæ provinciæ, vel Africa, vel Hispania [b], non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat.

Et quum

a *Nam quum ipsa*. Ms. exhibere videtur: *numquam ipsa*.

b *Africa, vel Hispania*. Cui ex illis quatuor, qui orbem tunc regebant, in divisione contigerit Hispania, ex Victore, ut vidimus non liquet; & quamvis ex Oratione II. Juliani Apostatæ eruatur, eam Provinciam Constantio Chloro obtigisse; tamen quum ex Eu-

tro-

tropio habeamus, eundem Constantium postquam abdicaverant Imperium Diocletianus, & Maximianus, contentum fuisse dignitate Augusti, & Italiæ, atque Africæ administrandæ sollicitudinem recusasse, nulla de Hispania mentione facta, jam dici posse videtur, Provinciam illam, bellis, seditionibusque concisam, & nondum sub unius ditione redactam, partim uni, partim alteri pro libito obtemperasse, utpote utriusque ditionibus contermina; quamquam in Constantii partem esse jure primæ divisionis universa debuisset; Ideoque non absolute dicit heic Author, eam fuisse sub Maximiani Imperio; sed adhibita particula disjunctiva, quam aliqui in copulativam mutare mallent; optionem indicat utrique factam.

4. Et quum opus esset, non deerant locupletissimi Senatores, qui subornatis indiciis, affectasse Imperium dicerentur [a], ita ut effoderentur assidue lumina Senatus [b]. Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat,

a *Qui, subornatis indiciis, affectasse imperium dicerentur.* Indiciis, pro indicibus, seu testibus, ut Naboti contigit Lib. III. Regum cap. xxv., & ut Aurelianum fecisse, narrat Vopiscus; siquidem de eo ait; *Dicitur præterea hujus fuisse crudelitatis, ut plerisque Senatoribus simulatam ingereret factionem conjurationis, ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere.*

b *Effoderentur assidue lumina Senatus.* Lact. sic sæpe locutum vidimus. De *Opif. Dei* cap. VIII. Lib. V. cap. XII. & Lib. VII. cap. XXVI., Sic etiam Cicero, Virgilius, Vellejus, Mamertinus, aliique dixerunt: *Lumina Civitatis*: *Lumina Imperii* pro iis, qui Civitatis, ac Imperii commoda curabant, indicandis.

5. Jam libido in homine pestifero [a] non modo ad corrumpendos mares [b], quod est odio-

a *In homine pestifero.* In Ms. *homine pestiphero.* Grævius ex Heinsio mallet: *pestifera*: I. E. *libido.*

odiosum, ac detestabile [c]; verum etiam ad violandas [d] primorum filias. Nam quacunque iter fecerat, avulsæ a conspectu parentum Virgines, statim præsto [e]!

b *Ad corrumpendos mares.* Baluzius, & Nourrius ediderunt: Mores Langletius vero: *ad corrumpendos mares*: ut olim suspicabantur cum Burneto alii nonnulli. Et quidem Victor *in Cæsar.* de Maximiano ait: *Quippe Herculius libidine tanta agebatur, ut ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret.* Lectio nostra ab ea, quæ mox sequitur, confirmatur.

c *Quod est odiosum, ac detestabile.* In Ms. *otiosum*; Detestabile autem jure dicitur vitium illud nefandum, quod superius indicatur.

d *Ad violandas.* In Ms. *ad volandas.*

e *Statim præsto.* Reticentia optime heic, ut virum pium decebat, utitur Author; ideoque punctum orationis suspensivum heic est adhibendum, ut ad Virgil. Æn. Lib. I. V. 139. *Quos ego.*

6. His rebus beatum se judicabat; his constare felicitatem Imperii sui putabat, si libidini, & cupiditati [a] malæ nihil denegaret [b].

a *Si libidini, & cupiditati.* Sic Lactant. Lib. I. cap. xx. Lib. V. cap. vi. *cupiditatem* pro *avaritia* usurpat. Sunt qui heic capiti finem imponunt. Sed nos commodius cum aliis protrahimus.

b *Malæ nihil denegaret.* Tollius: *mali nihil* &c.

7. Constantium prætereo [a], quoniam dissimilis cæterorum fuit, dignusque, qui solus orbem teneret.

CAP.

a *Constantium prætereo.* Scilicet Flavium Valerium Constantium, quem Aurelius Victor Julium etiam appellat, cogno-

gnomento *Chlorum* a voce Græca χλωρος *flavus*, vel quod vultu, vel crine talis esset. Trebellius Pollio a Flavio Vespasiano Augusto eum genus duxisse dicit, patre Flavio Eutropio inter Dardanos viro nobili; matre vero Claudia, Claudii Augusti, vel potius Crispi ejus fratris filia, in Illyrico natus, de quo infra constabit, quam bene heic Lactantius dixerit, dignum fuisse, *qui solus orbem teneret*.

CAPUT IX.

1. ALter vero MAXIMIANUS [a], quem sibi generum Diocletianus adsciverat [b], non his duobus tantum, quos nostra tempora senserunt; sed omnibus, qui fuerunt, malis pejor.

a *Alter vero Maximianus*. Qui cognomento Galerius, & Armentarius dictus est, quod, ut ait Victor. *in Epitom.* parentibus agrariis in Dacia Ripensi haud procul a Sardica natus, Armentorum pastor in adolescentia fuerit, & cui Diocletianus cognomen mutavit, appellavitque eum Maximianum Galerium.

b *Quem sibi generum Diocletianus asciverat*. Nam eidem Valeriam filiam Tyrannus uxorem dedit, de qua infra dicturi sumus.

2. Inerat huic bestiæ [a] naturalis barbaries, ET feritas [b] a Romano sanguine aliena. Non mi-

a *Inerat huic bestiæ*. Lact. Lib.V. cap.XI. *Quis caucasus, quæ India quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias unquam bestias aluit?* &c. Quæ de eodem Galerio intelligenda esse, non male Baluzius conjecit.

b *Naturalis barbaries, & feritas*. In Ms. *efferitas*. At bene restituerunt lectionem depravatam Vossius, Boherellus, Gale, aliique post ipsos: *naturalis barbaries, & feritas*. Heum. *natalis*. Vide Casaub. ad Pers. Satyr. II. p.225.

mirum, quum mater ejus transdanuviana [c], infestantibus Carpis, in Daciam novam [d], transjecto amne [e], confugerat.

c *Mater ejus Transdanuviana*. De ea paullo infra plura sumus dicturi. In Mss. *Trasdanubiana*.

d *In Daciam novam*. Vopiscus in Haureliano: *Quum vastatum Illyricum, ac Mæsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium, Daciam a Trajano constitutam, sublato exercitu, & provincialibus, reliquit, desperans eam posse retineri; abductosque ex ea populos in Mæsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mæsias dividit*. Hæc nova Dacia, seu Dacia Trajani dicta est, quo se transtulit Mater Galerii transjecto Danubio flumine, cujus Ripæ limites erant duarum Daciarum.

e *Transjecto amne*. In Ms. *trasjecto*: Langletius.

3. Erat etiam corpus moribus congruens [a], status celsus, caro ingens [b], & in horrendam magnitudinem diffusa, & inflata.

a *Corpus moribus congruens*. Lact. lib. I. cap. XXI. *Religio cum moribus congruit*; & alibi sine præpositione.

b *Status celsus, Caro ingens* &c. Ms. *Statu celsus*; sed lege: *Status*, ut habet Lact. Lib. II. cap. I. & Lib. VII. c. IX Cicer. in *Oratore* c. XVIII. *status erectus, & celsus*. Vide Euseb. Lib. VIII. *Hist. Eccl.* cap. XVI., & *de Vita Const.* Lib. I. cap. LVII.

4. Denique & verbis, & actibus [a], & adspectu, terrori omnibus, ac formidini fuit. Socer quoque eum [b] metuebat acerrime [c], cujus timoris hæc fuit caussa.

a *Verbis, & actibus*. Scilicet voce, & actione. Vide Donatum *in prolog. ad Terent. Comæd.* ubi explicat *scenam actuosam* eam esse, quæ magis in gestu, quam in oratione constituta sit. Verum de insolenti, ac superbo tam loquendi, quam agendi modo hæc sunt intelligenda.

b *Socer quoque ejus*. I. E. Diocletianus.

c *Metuebat accerrime*. Metus acer, bis, aut ter apud Virgilium legitur. *Acerrime* sæpe apud Cicer. pro *vehementer* reperitur.

5. Narseus Rex Persarum [a], concitatus domesticis exemplis [b] avi sui Saporis [c], ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat [d].

a *Narseus Rex Persarum*. Quem Casaubonus errore lapsus, ad Vopisc. *in Prolog.* cap. XVI. Armeniæ Regulum fuisse dicit, cui subscripsit Anna Fabri ad Vict. *Epitom.* Vararane tertio, vel Hormisdate Persarum Regibus, natus est, atque in Perside regnavit, ut ex Aurelio Victore, aliisque historiæ Augustæ scriptoribus liquet, & heic a Cupero demonstratum est.

b *Concitatus domesticis exemplis*. Sic Lact. lib. VI. cap. XXIII. seg. 31. Bun.

c *Avi sui Saporis*. Illius nimirum, qui Valerianum tanta affecit ignominia: sicuti superius cap. V. vidimus. Avus ne, an Atavus hujus Narsei fuerit, disputat ibidem Cuperus; sed controversiam non dirimit.

d *Ad occupandum Orientem cum magnis copiis inhiabat*. Annis Superioribus Diocletianus in Oriente contra hunc Regem prospere rem gessit; eum quippe cum Saracenis, & Parthis Mesopotamiæ, atque Armeniæ imminentem, ad pacem adegit, sociis ejus partim acie victis, partim ultra Tigrim propulsis; Unde Mamertinus in Panegyr. quem Herculio ante quinquennilia dixit, ita locutus est cap. X. *Hoc eodem modo rex ille Persarum, numquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo*, scilicet Diocletiano, *supplicat, totumque, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit*.

6. Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus, animique disjectus [a], simul & exemplum Valeriani [b] timens, non ausus

a *Animique disjectus*. Sic in Mss. Al. *dejectus*. Bun. *dejecti*. Heum. *incertus*.

b *Exemplum Valeriani*. Vide ad cap. V. hujus libri.

ausus est obviam tendere; sed hunc per Armeniam misit [c], ipse in oriente subsistens, & aucupans exitus rerum [d].

c *Sed hunc per Armeniam misit*. Nempe Galerium, qui Illyrici oram quum regendam suscepisset, per Armeniam missus est in Mesopotamiam, quæ tum erat Romani Imperii Provincia, sed a Persis invasa; & primo quidem prælio, ut ait Eutropius, vel etiam tertio, ut ait Hugo Floriacensis, fusus est, amissisque copiis, ad Diocletianum fugit; a quo tamen tam male est habitus, ut ne intuitus quidem, aliquot passuum millibus, purpuratus, moræ Cæsarum, ante illius carpentum currere coactus fuerit, gregarii militis instar, eodem teste Eutropio.

d *Aucupans exitus rerum*. Lact. Lib.v. cap.xxii. seg.22. *per rumorem aucupata*. In Epitom. cap.LV. *aucupari utilitates* &c.

7. Ille insidiis suis [a] barbaros, quibus mos est [b] cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos [c], & Sarcinis occupatos, non difficulter [d] oppressit: fugatoque Narseo rege [e], reversus cum præda, & ma-

E 2

a *Insidiis suis*. Tollius: *insidiis usus*.

b *Quibus mos est* &c. Persis nimirum mos erat quum ad Bellum inferendum procederent, secum uxores, pellices, filios, omnemque familiam ducere; Vide Q. Curtium in vita Alexandi M., & Herod. Lib. iv. cap. ultimo.

c *Multitudine impeditos*. In Ms. *imperitos*.

d *Difficulter*. Cicero L.iv. *Quæst. Accad.* hoc adverbio usus est, Cæsar. Lib.I. *Bell. Civil.* Livius lib. v. *Bell. Punic.* Plinius sæpe &c. Ideoque non adeo rara vox est, ut quidam heic notarunt.

e *Fugatoque Narseo Rege*. Sextus Rufus narrat, Galerium a Diocletiano post cladem, vix impetrasse, ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu eventum Martis repeteret contra Persas; Impetravit tamen; *& in Armenia majore ipse Imperator cum duobus equitibus exploravit hostes, & cum viginti quinque millibus superveniens Castris hosti-*

& manubiis ingentibus *f*, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem.

---

hostilibus, subito innumera Persarum agmina adgressus, ad internecionem cecidit. Rex Persarum Narseus effugit. Aurelius Victor *de Caesar.* cap. XXXIX. *Narseum regem in ditionem subegit.* Ex quibus verbis perperam Chevraeus lib. VI. cap. III. *Hist. Mundi* asseruit, Regem Persarum in vinculis, & potestatem Galerii venisse.

f *Reversus cum praeda, & Manubiis ingentibus.* Sext. Rufus ubi supra: *Uxor ejus, & filiae captae sunt, & cum Maxima pudicitiae custodia reservatae. Pro qua admiratione Persae non modo armis; sed etiam moribus Romanos superiores esse, confessi sunt. Mesopotamiam cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt.* Adde Eutropium, & Aurelium Victor. ubi supra, qui addidit: *Adeo Victor, ut ni Valerius, cujus nutu omnia gerebantur, incertum qua caussa, abnuisset, Romani fasces in Provinciam novam ferrentur.*

8. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est *a*, ut jam detractaret Caesaris nomen *b*. Quod quum in litteris ad se datis audisset, truci vultu, ac voce terribili exclamabat *c*: QUOUSQUE CAESAR? Exin-

---

a *Elevatus est.* Heum. putat Lactantium scripsisse: *elatum est.*

b *Ut jam detractaret Caesaris nomen.* En Diocletiani timoris caussam; ne scilicet Galerius Augusti potestatem, & nomen per vim, & superbiam invaderet; & fortasse ulcisceretur, quod eum, re primum male contra Persas gesta, ad carpentum suum currere, ut superius diximus, coegisset.

c *Exclamabat: quousque Caesar?* Cellarius sic Diocletianum exclamasse putat auditis Galerii litteris; sed fallitur; haec enim verba Galerii sunt, qui quum ei recitarentur Diocletiani Epistolae ad se datae sub titulo Caesaris, nec se Augusti nomine, ac potestate insigniri, tandem aliquando audiret, exclamabat: *quousque Caesar.* Scilicet, ero?

9. Exinde insolentissime agere cœpit, ut ex Marte se procreatum [a] & videri, & dici vellet; tanquam alterum Romulum [b]; maluitque Romulam matrem [c] stupro infamare [d], ut ipse Diis oriundus videretur.

---

a *Ut ex Marte se creatum*. Sicuti Diocletianus a Jove, Maximianus ab Hercule, sic Galerius a Marte originem ducere, dementissime, jactabat.

b *Tamquam alterum Romolum*. Jam de Romulo diximus ad caput xv. lib. I., de Galerio autem, qui Marte genitum dici, & videri voluit instar illius, sic Victor in *Epit.* cap. XLI. *Is affirmare usus est, matrem, more Olympiadis, Alexandri Magni creatricis, compressam Dracone semet concepisse*. Vide Ælian. lib. I. *Var. Hist.* cap. xxv. ubi opinionem refert illorum, qui Macedonem Alexandrum Jove natum dixerunt; ne mirandum tibi sit de varietate opinionem in fabulis.

c *Romulam Matrem* - Aurelius Victor ubi supra: *Ortus Dacia Ripensi, ibique sepultus est; quem locum Romulianum ex vocabulo Romulæ matris appellandum esse* deinceps jampridem decreverat.

d *Matrem Stupro infamare*. Lact. *de Ira Dei* cap. xvii. *acerbitatis nomine infamant*. Epit. cap. LV. *Stultitiæ crimine infamant*.

10. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quam nomen imperatoris accepit, exuto socero [b], tum demum furere cœpit, & contemnere omnia [b].

---

a *Exuto Socero*. Idest Diocletiano, qui purpuram, & Imperium, Galerio cogente, deposuit, ut infra visuri sumus cap. xix.

b *Et contemnere omnia*. Gale: *& contemnere nomen*.

11. Diocles, (sic enim [a] ante imperium vocabatur,) quum rempublicam talibus con-

 siliis

filiis [b], & talibus sociis everteret, quum pro sceleribus [c] nihil non mereretur; tamdiu tamen summa felicitate regnavit [d], quamdiu manus suas justorum sanguine non inquinaret.

---

a *Diocles enim*. Locus iste depravatus est, & Mutilus, quem una addita voce sanare Cuperus, & Cellarius tentarunt, legendo; *Diocles, sic enim ante Imperium vocabatur, quum Rempublicam* &c. Vide supra not. 1. ad cap. VII., & infra cap. XIX. seg. 5. Nourrius, qui aliquando legendum putavit: *Diocletianus autem, qui ante imperium Diocles vocabatur*. Postmodum, tamquam si lectio integra esset, eam indignam Lactantio reputans, hinc alium authorem, ab eo diversum confirmare contendit, esse hujus libri parentem.

b *Quum Rempublicam talibus consiliis, & talibus sociis everteret*. Tollius temere, ut solet. *Et hoc falsum*, ait, *vix enim melior Reipublicæ, vel utilior, ac prudentior, & Majoris animi Princeps Diocletiano fuit; excepta illa mota, crudeliterque excitata persecutionis labe*. Hujus tamen hominis confidentiam ex Eutropio, Vopisco, Aurelio Victore &c. Satis superque Paulus Bauldrius repressit, nec meretur, ut ultra aliquid addamus.

c *Pro sceleribus suis*. In primis enim, adorari se, appellarique, uti Deum, *Dominum* jussit. Secundo *totam Ægyptum cædibus fœdavit*: III. Parum honesta in amicos fide fuit: IV. Vires Reipublicæ detruncavit; Avaritia demum, formidine, ac severitate nemini concessit. Vide ergo odii ne caussa Lactantius locutus ita sit, an contradicendi libidine potius, id ei imponere Tollius sit ausus?

d *Tamen summa felicitate regnavit*. Armis enim Sociorum, solertia, & summa in omnibus periculis cautela Imperium administravit; hostesque plurimos Romani nominis aut vicit, aut ad pacem adegit. Vide infra ad cap. XVII.

12. Quam vero caussam persequendi habuerit [a], exponam.

CAP.

---

a *Caussam persequendi*, Adde seu subintellige, *justos*.

CAPUT X.

1. QUum ageret [a] in partibus Orientis, ut erat pro timore [b] scrutator rerum futurarum; immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat [c].

a *Quum ageret*. Lact. L. iv. cap. xxiii., & xxvii. hoc eodem sensu utitur hocce verbo.

b *Ut erat pro timore*. Al. *præ timore*. Tollius iterum Lactantio succenset; quasi Diocletiani facta in pravam partem detorqueat, quum M. Alexander, Julius Cæsar, & optimi, & fortissimi Principes, ac duces de more fecissent, quod Diocletiano tamquam timoris argumentum vitio vertit; sed errat Tollius propria fretus audacia; nam Lactantius non vitio vertit Ethnico Principi quod pecudes immolaret; sed asserit, hoc eum pro timore fecisse. Quod habebat Tollius adversus hocce effatum heic afferendum erat; pro Lactantio enim habemus Aurelium Victorem cap. xxxix. n. 48. *de Cæsar.* ubi ait: *Namque imminentium Scrutator, ubi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani .... curam Reipublicæ abjecit*. Hoc certe hominis magnanimi facinus nec Tollius dixerit; ideoque nec dicendum erat, quod Diocletianus *contempta rerum humanarum vanitate, quod maximi animi est*, abdicaverit Imperium. Adde eundem Victorem, qui paullo supra expresse dixerat: *Valerio* (Diocletiano) *parum honesta in Amicos fides erat, discordiarum sane metu*. Et Epitom. Cap. pariter xxxix. n. 7. *Morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem, voluntaria*. En ergo hominem magnanimum, a Lactantio odii caussa traductum, & a Tollio vindicatum.

c *Et in jecoribus eorum ventura quærebat*. Boherellus, Nourrius, & Langletius legunt *earum*, forte, ut ait Bunem., *desperantes de masculino*. Quamvis Ennius dixerit: *Pecudi marito*, & Salvian. Lib. vii. *de Gubern. In morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur*. Nec a vero abhorret, quod hocce pecudum genere usus sit in sacrificiis suis Diocletianus. De Ethnicorum autem superstitiosa vanitate in scrutandis pecudum cæsarum extis, vide quæ a nobis dicta sunt ad lib. iv. cap. xxvii. seg. 4. (d).

2. Tum quidam ministrorum scientes Dominum [a], quum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum [b]. Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas [c] in extis notas videbant, & quasi non litassent, sæpius immolabant.

---

a *Tum quidam ministrorum scientes Dominum.* Etiam lib. III. Cap. XXIX., & lib. VII. Cap. XX. Christianos Lactantius hisce verbis describit: *Deum sciunt. Dominum scierunt.* At Τὸ *ministrorum* sensum heic confundere notant commentariorum Scriptores, quum componere nesciant Christianam professionem cum ministerio Aruspicum, & Diis sacrificantium: sed quæ sequuntur verba rem totam apertissime declarant; Non enim Fideles Christi erant, qui sacrificiis illis operam dabant: sed quum essent domestici, & familiares Imperatoris, eidem *assistebant immolanti*, quemadmodum Naaman in Templo Remmon facere cogebatur, Domino suo sacrificanti; ut habetur lib. IV. Reg. Cap. V. ℣. 18 Vide ad Lib. IV. cap. XXVII. seg 4. ubi eadem fere verba adhibet Lactantius, quum hæc eadem commemorat.

b *Imposuerunt frontibus suis immortale signum*: Nempe Sanctæ Crucis, ut Christianorum mos semper fuit, & nos jam ostendimus diss. XXXV. cap. IV. §. VII. contra Ecclesiæ Romanæ hostes; quamquam nunc illorum plerique id amplius non improbent; sed fateantur antiquum esse Ecclesiæ ritum, a quo se abstinere, salva Christi fide contendunt, quia nullam hujus disciplinæ legem in Scripturis Sanctis inveniunt. Iis autem respondimus in laudata dissertatione, ne heic Lectorem nostrum diutius detineamus. Hoc idem Signum Lactantius aliquando *cæleste*, aliquando *Immortale* appellat, ut jam ibidem recensuimus.

c *Trepidabant Aruspices, nec solitas* &c. Vide ad lib. IV. Cap. XXVII.

3. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tages [a], seu suspicione, seu visu, ait: iccir-

iccirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent [b].

a *Magister ille Aruspicum Tages*. Ms. *Tagis* Nescio propr umne nomen istud sit illius Magistri Aruspicum, quo usus est Diocletianus, an potius oratorio modo, ut Baluzius ait, sic eum appellaverit Lactantius, quia apud Hetruscos hocce nomine vocatus est illius vanissima artis repertor, ex Ovidio lib. xv. *Metam.*

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Pro ratione dubitandi plurima afferre possem: Nam Suidas in V. Τηλεγονος cuidam Telegono id tribuit. Fulgentius de *Priscor. sermon.* Tagetis, & Bacchilidis quindecim Volumina a Labeone explicata commemorat. Cicero lib II. *de Divin.* refert, de Terra repente quendam Tagetem extitisse, eumque affatum fuisse arantem bubulcum in agro Tarquiniensi, ibidemque concursum esse factum totius Hetruriæ. *Tum illum*, verba Cicer. sunt · *plura locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, litterisque mandaverint. Omnem autem orationem fuisse eam, qua Aruspicina disciplina contineretur.* Non ideo tamen nomen hocce omnibus Aruspicum Magistris datum esse certum est ex eo, quod apud Reynes. class. v. Inscript. p. 26. ostenditur Inscriptio quædam, in qua Lucium Fontejum, Flavianum Magistrum Aruspicum; Pontificem, & Dictatorem legimus: & apud Gruterum pag. *CCCIV.* mentio fit de G. Julio Donato Prisco, qui eodem fungebatur apud Imperatorem officio. Immo Jan. Jacob. Boissard. in *historia*, ac in *Tractatu posthum*: DEORUM FATIDIC. plurimos recensent Hetruriæ Reges, qui auguralem artem promoverunt, inter quos ipse Theages XIII. post Aruncum occurrit; primus vero eorum est *Janus Priscus Ogyges*. Qui ex Berosó Filius Noe fuisse dicitur.

b *Profani homines interessent*. Qui scilicet non essent Deorum sacris initiati; quales erant Christiani, hujuscemodi operationibus adversi, coram quibus Dæmones responsa, & Vaticinia negabant. Vide apud Euseb. lib. VII. Hist. Eccl. cap. X. Apud Socrat. lib. III. cap. XVIII. Apud Sozom. lib. I. cap. XIX.

4. Tunc ita furens [a], sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed univer-

sos;

sos, qui erant in Palatio, jussit; & in eos, si detractassent [b], verberibus animadverti, datisque ad præpositos litteris [c], etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit; ut, qui non paruissent, militia solverentur [d].

a *Tunc ira furens*. In Ms. *ira furoris*: ex Anoym. eamque lectionem tuetur Langletius. *Ira furori* ex Nourrio Al. *ira furiosus*. Lact. in Epitom. cap.LXXI. *Ira implacabili furens*. De Diocletiano hæc intelligenda esse, quæ sequuntur, ostendunt. Vide infra ad cap.xv.

b *Si detractassent*. Sic in Ms., quamvis Nourrius ediderit: *detrectassent*, & Heum. *qui detrectassent*.

c *Datisque ad Præpositos litteris*. Præpositi militum post Tribunos, militiæ præerant, habebantque cohortes sibi obtemperantes, ut observat Valesius ad Marcellinum, & nos infra dicemus ad cap.XLVI. Non ergo ad unum dumtaxat Stratopedarcham Diocletiani litteræ datæ sunt, de persecutione in milites exercenda, sicut perperam Dodvvellius ait Diss.xi. Cyprian. n. LXVI. Neque id significant verba Eusebii ab eodem ibidem laudata, utpote quæ illud dumtaxat innuunt, quod hisce verbis expressit in sua versione Christophorsonus a Suffrido Petri recognita: Lib.VIII H. Eccl. cap.IV. *Ubi autem Dux, quisquis tamen ille fuerit, jam tum primum contra eos, qui ex Nostris in exercitu Romano militabant, persecutionem excitaverat* &c. Quod etiam Bauldrius bene advertit. Aliud plane est primum in aliqua re esse, aliud esse unicum.

d *Ut qui non paruissent, militia solverentur*. Vide Eusebium ubi supra. In Ms. *& qui*: teste Anonymo.

5. Hactenus furor ejus [a], & ira processit: nec amplius quicquam contra legem, aut religionem DEI fecit.

Dein-

a *Hactenus furor ejus* &c. Scilicet in initio persecutionis, quæ a Palatinis, & militibus cœpit. Vide Euseb. ubi supra, & lib. eodem cap.I.

6. Deinde, interjecto aliquanto tempore [a], in Bithyniam venit hyematum [b], eodemque tunc Maximianus quoque Cæsar, inflammatus scelere [c], advenit; ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum [d], qui jam principium fecerat [e]. Cujus furoris hanc caussam fuisse cognovi.

a *Deinde interjecto aliquanto tempore*. In Ms. *deinde interdicto aliquanto* &c. Intellige aliquot annorum intervallo; non xv. dierum; ut quidam perperum dixerunt.

b *In Bithyniam venit hyematum*. In Ms. *hyematu*: ex Anon. Tunc ibidem morabatur Lactantius, illuc ab eodem Diocletiano accitus, ut oratorias doceret litteras, sicuti vidimus Diss. VII. cap. II. §. xc. Baluzius notat in Cod. Ms. pro *in Bithyniam*. Legi: *in Bethaniam*.

c *Eodemque tum Maximianus quoque Cæsar inflammatus scelere venit*. Nempe Galerius Armentarius. Cicero in Verr Lib. v. *Ipse inflammatus scelere*. Lact. lib. VII. cap. I. *inflammati amore*: cap. XVII. *impius Rex inflammatus ira*.

d *Senem vanum*. Scilicet Diocletianum, quem infra *inconsideratum*. Cap. XIV. *languidum* cap. XVIII., & tandem simpliciter *senem* cap. XXIV. appelatum esse ab eodem videbis.

e *Qui jam principium fecerat*. Persecutionis nimirum, quamvis non sanguinariæ.

CAPUT XI.

1. ERat mater ejus [a] deorum montium cultrix [b]. Quæ, quum esset MULIER ADMO-

a *Erat Mater ejus*. Scilicet Romula illa, de qua superius ad caput IX. seg. 9. diximus. Spanhemius Frid. F. *Introduct. ad Hist. N. T. Sæc. IV.* X. 3. Hanc, immani lapsu, Diocletiani Matrem asseruit, quæ Galerii esse ex L. c. apparet.

ADMODUM SUPERSTITIOSA [c], dapibus sacrificabat

b *Deorum montium cultrix*. Cellarius, & alii quidam post ipsum omnia hæc depravata, & turbata esse censuerunt; ideoque fore, ait, cum Grutero sic restituenda: *erat Mater ejus Dea montium* &c. Intelligendo vel Cybelem, quæ apud Diomedem Lib.III. pag.514. *Fera Dea montium* appellatur, vel Dianam, quæ utpote venatrix, etiam montibus inerrare dicitur. Alii legunt *Deorum omnium cultrix* apud Bauldrium; sed errant; nam non solum, ut optime notaverat Baluzius, *Montenses Deos* ex Commodiano Lib.I. cap.XXI. *Instruct*. Ethnici colebant; sed etiam hoc habetur ex inscriptione Gruteriana pag. XXI.

ARAM . JOVI . FULGERATORI . EX . PRAECEPTO .
DEORUM . MONTENSIUM . VAL. CRESCENTIO .
PATER . DEORU . OMNIUM . ET . AUR. EXU-
PERANTIUS . SACERDOS . SILVANI . CUN.
MATRIBUS. ET . SORORIBUS . DEDICAVERUNT .

Nec difficile est interpretari, qui fuerint Dii Montenses, ut idem putavit Baluzius; nam si ad originem Idololatriæ investigandam ascendamus, statim videbimus, Idola omnia in montibus, ac in Sylvis primum adorata fuisse. Deuter.XII. ℣.2. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles* &c. Idem confirmat R. Maimonides de Idololatr. Imo, & Lucianus *de Sacrific. & primum quidem Sylvas dedicaverunt. & montes Diis attribuerunt*. Subsecutis vero temporibus, idem præstiterunt numinibus illis Agrestibus, de quibus Ovidius lib. III. Fastor p. 532. a ℣. XI.

. . . . . . *Sic quatiens cornua Faunus ait:*
Magna petis; nec quæ monitu te discere nostro
Fas sit. Habent fines numina nostra suos.
Di sumus agrestes, & qui dominamur in altis
Montibus. Arbitrium est in sua tela Jovi.

Etiam nomina, & figuras eisdem tribuerunt, vocantes eos Pana, seu Panes, Ægipanes, Faunos, Silvanos, Satyros, &c. Quorum differentias vide apud Salmasium in *Exercit. Plinian.* ad cap. Solini XXXI. p.293. edition. Trajectinæ an.1689. Nymphas vero Montium custodes appellabant Oreades, de quibus

bat pene quotidie [d], ac vicanis suis epulas exhibebat [e]. Christiani abstinebant [f], & illa cum

bus Virgilius Lib. II. Æn. ℣. 504.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana Choros; quam mille secutæ
Hinc, atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnes.

Vide etiam Diss. nostram XXVII. cap. VI., & VII.

c *Quæ quum esset mulier admodum superstitiosa dapibus* &c. In Ms. Cod. inverso ordine verborum legitur: *Mulier admodum superstitiosa, quæ quum esset dapibus &c.* Iccirco ex communi consensu lectionem restituimus. Tollius Τὸ *esset* interpretatus est: *manducaret*; sed nihil inde erui potest, quod lectioni prosit.

d *Dapibus sacrificabat pene quotidie*. Gale legundum censuit: *Dæmoniis sacrificabat*; sed nihil omnino mutandum est; nam *sacrificare dapibus* latina locutio est: *Daps* enim, authore Festo; res divina dicebatur, quæ fiebat aut hyberna semente, aut verna &c. Ac propterea mulieri, cujus filius, etsi Cæsar; primum tamen Armentarius fuerat, lectio nostra congrua est.

e *Ac Vicanis suis epulas exhibebat*. Mendum in Ms. latere omnes commentariorum scriptores viderunt, quum Baluzius ediderit: *Vicariis suis epulis exhibebat*. At non omnes uno modo emendarunt. Aptior ea mihi semper lectio visa est, & Codici congruentior, quam retinemus; Nam si legatur *Vicariis*, ut habent plerique typis editi, non bene congruit cum sequentibus; Vicarii quippe heic esse deberent, qui nomine ejusdem Romulæ sacrificassent, ejusque vices gessissent: in iis præsertim Sacris, quæ mulieribus vetitum erat exercere. Puta Silviano finium tutore. Capitolinus in Anton. Pio cap XI. de eis loquitur quum dicit: *Nec ullum Sacrificium per Vicarium fecit; nisi quum æger fuit* &c. Quæ ut ajebam, lectio cum sequentibus non congruit, nam hujusmodi vices impleri non potuissent per Christianos, quibus statim dicuntur epulæ illæ fuisse appositæ, & exhibitæ, a quibus tamen ipsi abstinebant. Melius ergo emandant legentes *Vicanis suis*: quoniam characterum ductus est idem, sensus vero planissimus; indicat enim eos, qui in eodem Vico habitabant, in quo a Romula sacrificabatur per Vicanos Aruspices, de quibus Ennius apud Cicero-

cum gentibus epulante, jejuniis hi, & orationibus insistebant [g].

ceronem loquitur Lib.I. *de Divinat.* ext. inquiens:

Non habeo denique Nauci
Marsum Augurem,
Non Vicanos Aruspices;
non de circo Astrologos.

f *Christiani abstinebant.* Ab Apostolorum temporibus controversiam illam agitatam esse novimus; an scilicet licitum esset Christianis res Idolis oblatas commedere; quam diremit Apostolus ad Corinth. scribens Ep.I. cap.VIII. docens, iis in cibum utendum non esse, aut repugnante conscientia; aut imminente proximorum periculo. Quum autem Lactantii temporibus, religionem violari hujusmodi cibis arbitrarentur plerique, ut patet ex Can.XL. Concilii Eliberitani, & Ecclesiæ persecutores Religionis caussa ad id compellerent fideles Christi; hinc illis vetitum fuit, eisdem vesci; ideoque plurimi fame potius, vel ferro periere, quam idolothyta comedere, voluerint. Vide Acta S. Martyris Marcelli Centurionis apud Surium die XXX. Octobris, quæ sincera a Criticis omnibus reputantur, & initio Persecutionis Diocletianeæ conscripta censentur Fausto, & Gallo Coss. etiam a Pagio ad an.CCXCVIII. Baron. n.I. laudata.

g *Jejuniis, & orationibus insistebant.* Sic Maria illa Tertulli ancilla fecisse legitur in Actis apud Baluzium heic indicatis: *Natale itaque filii celebrante Tertullo quum impuris idolis, vanisque simulachris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis.*

2. Hinc concepit odium adversus eos [a]: ac filium suum, non minus superstitiosum, querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit [b]. Ergo

a *Hinc concepit odium adversus eos.* Exprobrari siquidem sibi videbatur ab iis, qui id facere renuebant, quod ipsa in honorem Deorum suorum fieri vehementer optabat.

b *Ad tollendos homines incitavit.* Sic Lact. de more Lib.IV. cap.XVI. seq.... *Consilium de eo tollendo, cruciandoque ceperunt.* Plura Ethnicorum exempla heic Bauldrius pro hac brevi dicendi formula congessit. In Ms. *ad tollendos omnes* ex Langletio legitur.

3. Ergo [a], habito inter se per totam hyemem consilio [b], quum nemo admitteretur, & omnes de summo statu reipublicæ tractari arbitrarentur, diu senex [c] furori ejus [d] repugnavit, ostendens, quam perniciosum esset inquietari orbem terræ: fundi sanguinem multorum [e]: illos libenter mori [f] solere; satis esse, si Palatinos tantum, ac milites ab ea religione prohiberet [g].

Nec

---

a *Ergo habito inter se per totam hyemem consilio*. Locum hunc multa conspersum caligine putat Nourrius, quamvis & ipse nesciat, sanus ne, an inutilus sit; nullus tamen hactenus dubitavit, quin hæc intelligenda sint de consiliis initis Diocletianum inter & Galerium, quos ex superiori capite didicimus in Bithyniam convenisse, & infra clarissime appareat.

b *Per totam hyemem*. Hyperbolice dictum putat Bunem., etsi Pagius n. III. suæ criticæ ad Baron. an. CCCII. repetat: *Hoc anno per totam hyemem de Christianis persequendis, actum est*.

c *Diu Senex*. Scilicet Diocletianus, quem supra cap. X. *Senem vanum* appellavit.

d *Furori ejus*. Galerii nimirum, *cujus furoris caussam* sibi cognitam heic narrat Author.

e *Fundi Sanguinem multorum*. Anonym. lege ait: *& fundi*. Copula tamen potest abesse, & subintelligi.

f *Illos libenter mori*. Ex Actis Prætorianis id cognoverat Diocletianus, quum nihil frequentius in eis occurreret, quam Martyrii desiderium. Vide apud Ruin. *in Act. Martyrum Aedunensium*, *seu Legionis Thebeæ*, & Eucherium de S. Victore veterano, qui eis meruit adnumerari. Adde Baluzium plura heic asserentem ex Severo Sulpitio, ex Augustino, & Pontio Diacono idem confirmantibus.

g *Si Palatinos tantum, ac milites ab ea religione prohiberet*. In Ms. *satis esset*. Editi omnes *satis esse si Palatinos* &c. pro *Palatinis* intellige non solum, qui Palatinæ militiæ erant adscripti, nec Proceres dumtaxat; sed omnes quot quot Imperiale Palatium habita-

ta-

tabant. In Martyrologio Romano, a Florentinio edito, & illustrato, sæpe legitur: *Nicomediæ*, ubi tunc Imperatores morabantur *Palatini* vocabulum, & præsertim XXII. & XXIV. Februarii. IV. Martii. VII. & XXX. Maii. Et quamquam aliquando dubitet officii ne, an Martyris nomen significare velit; attamen pro domesticis aliquando usurpatum esse, non diffitetur, idque non modicum lucem ex hoc Lactantii nostri testimonio suscipere, nemo negabit. Inter alios VI. Idus Martii ibidem habetur: *In Nicomedia Palatini Firmiani, & Rustici*: ubi alii legunt *Palatini Fion.i, & Rustici*.

4. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis insaniam [a]. Placuit ergo amicorum sententiam experiri.

a *Præcipitis hominis insaniam*. Nempe Galerii Maximiani, de quo jam initio cap. VI. *dicitur, quod præceps erat*. Inquit *Langletius*, sed errore lapsus est; ibidem enim Noster loquitur de Valeriano: en verba: *Valerianus quum esset natura vesanus, & præceps*. Tollius *pro deflectere potuit præcipitis hominis* &c. Mallet *flectere*: sed male; nam heic *deflectere* significat *a proposito avertere*: quod non bene exprimit verbum *flecto*.

5. Nam erat hujus malitiæ [a]: quum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur: quum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat [b], ut aliorum culpæ adscriberetur, quicquid ipse deliquerat. Ad-

a *Nam erat hujus malitiæ*. Apud Vopiscum *in Numeriano* Diocletianus dicitur: *Callidus, & consilii semper alti; nonnunquam effrontis*. Et Eutropius lib. IX. cap. XVI. *Diocletianus*, ait, *moratus callide satis fuit, sagax præterea, & admodum subtilis ingenii, & qui severitatem suam aliena vellet invidia explere*. In Ms. *NON ERAT* ex Anonym.

b *In consilium multos ad vocabat*. Bauldrius mallet: *in consilium alios advocabat*; nam si multos; quomodo infra dicit *Pauci*, & *Pauci*? Respondeo heic Lactantium morem describere Diocletiani qui multos in consilium advocare consueverat; postea vero quid in hac peculiari deliberatione egerit narrare. Erat quippe hæc caussa adhuc occulta, ideoque paucis arbitris communicanda, maxime ab homine formidoloso, & callido, qui pro arbitrio mores ad rerum gerendarum indolem sibi fingere sciebat.

6. Admissi ergo judices pauci, & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus Christianos odio [a], inimicos Deorum, & hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt [b], &, qui aliter sentiebant [c], intellecta hominis voluntate [d], vel timentes, vel gratificari volentes [e], in eandem sententiam congruerunt [f].

a *Proprio adversus Christianos odio*. In Ms. *proprium... odium*. Lact. lib. v. cap. XI. *Suo proprio adversus justos odio*. Ex Baluzio, Nourrio, & Langletio.

b *Tollendos esse censuerunt*. In actis S. Savini Episcopi, & Martyris Firmani apud Baluzium *Tom. II. Miscell. Pars major Populi clamabant, dicentes: Christiani tollantur*.

c *Et qui aliter sentiebant*. In Ms., & in editione Baluzii: *& qualiter*.

d *Cognita hominis voluntate*. Galerii nimirum.

e *Vel timentes, vel gratificari volentes*. Lact. de his iisdem, de persecutione, & augumento ipsius ibidem ait: *Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt quam jubebatur.... Nonnulli, ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent*.

f *In eandem sententiam congruerunt*. Lact. lib. I. cap. IV. *In unam sententiam congruens divinatio*.

7. Nec sic quidem [a] flexus est Imperator [b], ut accomodaret assensum; sed Deos potissi-

mum consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Milesium [c]. Respondit ille, ut divinæ religionis inimicus [d].

a *Nec sic quidem*. Sic in Ms., ut sæpe etiam in Bon. Cod. Al. *ne sic quidem*.

b *Flexus est Imperator*. Heic bene *flexus*. Subintellige *Diocletianus*.

c *Misitque Aruspicem ad Apollinem Milesium*. Vide lib. I. cap VII., & lib. IV. cap. XIII. De hac historia vero vide Euseb. lib. III. *de Vita Constant.* cap. I. Pagium ad an. Chr. CCCII. n. III.

d *Ut divinæ Religionis inimicus*. lib. II. cap. XLIX. Eusebius de vita Constantini sic habet: *Apollinem autem id temporis ex antro quondam, & tenebricoso recessu, non ex Sacerdotis ore oraculum edidisse ferunt: Justos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus vera loqueretur; & propterea falsa oracula ex tripode edita esse; indeque etiam factum esse, ut comam demitteret*.

8. Traductus est itaque [a] a proposito; &, quoniam nec amicis, nec Cæsari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet, quum Cæsar vivos cremari vellet [b], qui sacrificio repugnassent [c].

CAP.

a *Traductus est itaque*. Scilicet Imperator, qui antea, ne flexus quidem a Galerio, miserat ad Apollinem. Diversimode hæc ab Eusebio narrantur ubi supra cap. seq., eaque se puerum audivisse, testatur.

b *Quum Cæsar vivos cremari vellet*. Nota Galerii immanitatem in Christianos.

c *Qui Sacrificio repugnasset*. In Ms. *qui Sacrificium repugnasset*: ex Langletio.

CAPUT XII.

1. INquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix [a], ac potissimum Terminalia deliguntur [b], quæ sunt a. d. VII. Kalendas Martias [c], ut quasi terminus imponeretur huic religioni [d].

a *Dies aptus, & felix*. Rem magnam molituri dies observabant Ethnici, apud quos dies nefasti notabantur littera *N.* ut ait Festus, nec in eis jus dicere licebat, nefasque fuisset fari Prætorem tria illa verba. *DO: DICO: ABDICO*: per quæ omnes juris actiones indicantur. Vide Ovid. lib. I. Fast. pag. 424. a V. 9.

Ille nefastus erat, per quem tria verba silentur.
Fastus erit per quem, lege licebit agi.
Nec toto perstare die sua jura putaris;
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari:
Verbaque honoratus libera Prætor habet.

b *Terminalia deliguntur*. Scilicet Ethnicorum festa in honorem Dei Termini; de quo cum Lactantio locuti sumus ad lib. I. cap. XX. S. Augustin. lib. VII. de Civit. Dei cap. VII. *Terminalia Mense Februario celebrari dicunt, quum sit sacrum purgatorium, quod vocant FEBRUUM*. Livius Decad. V. lib. III. *Tertio die post Terminalia Kalendæ intercalares fuere*.

c *Quæ sunt a. d. spetimum Kal. Martias*. In Ms. KL. MRS. ex Anonym. Vetus Kalendarium Fastis Ovidianis plerumque in antiquis Codicibus annexum, & etiam sæpe editum formis, hoc Festum ponit A. D. X. Kal. Martias; & pro *Terminalia* habet: *Termini*. Aliud autem Kalendarium Romanum, de quo egit Baluzius, editum tempore Constantini, & ab Hervaratto, & Bucherio factum publici juris, Terminalia ad diem VII. Kal. Martias consignata sunt; propter emendationem, de qua fuse locuti fumus in Diss. XIII. cap. IV. *Art.* III. §. XXXV. Vide etiam Pagium ad an. Chr. CCCII. n. V., & Cuperum heic.

Ille dies [e] *primus leti, primusque malorum*
Caussa fuit.

Quæ & ipsis [f], & orbi terrarum acciderunt.

d *Ut quasi terminus imponeretur huic Religioni*. Phrasis hæc Lactantiana est Lib. IV. cap. XIX. Lib. VII, & V., eaque utuntur Apulejus Lib. IV. *Metam.*, & Eutrop. Lib. IV. cap. XI pro *imponere finem*, seu *terminare*.

e *ILLE DIES* &c. Versus Virgilii *Æn.* Lib. IV. V. 169.

f *Quæ & ipsis* &c. Scilicet Imperatoribus, ac iis, qui in eorum ditione habitabant.

2. Qui dies quum illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus octavum, & septimum [a], repente adhuc dubia luce [b] ad Ecclesiam [c] Præfectus, cum ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit [d]; & revulsis foribus, simulacrum DEI quæritur [e]. Scriptu-

a *Agentibus consulatum senibus ambobus octavum, & septimum*. Scilicet: *Diocletiano* VIII. *Maximo* VII. *Coss.* Vide tabulam Chron. Diss. XXII. cap. II. §. VIII.

b *Repente adhuc dubia luce*. Ante ortum solis; puta hora V. post mediam noctem.

c *Ad Ecclesiam*. Ædem scilicet Sacram Christianorum, quam Lib. V. cap. II. Templum appellat.

d *Præfectus cum ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit*. Error manifestus in prima voce ab omnibus jam correctus, ita ut legendum omnino sit *Præfectus* scilicet *Pratorio*, vel alicujus militum ordinis. In Ms. sic scribitur *Pfessus*.

e *Simulacrum Dei quæritur*. Baluzius ex Desiderio Heraldo ad Lib. VI. Arnobii, & ex Casaubono in notis ad Lamp. in Alex. Severo, Ecclesias Christianorum Lactantii tempore, omnibus caruisse putat imaginibus, cui Pagius subscripsisse videtur; sed minus considerate; ideoque nec utiles suis hominibus erant existimandæ Pagii conclusiones a Bauldrio magis quam Dallæi, suorumque argumenta. quibus omnibus satisfecimus in Diss. XXXV. ca. IV. §. III.

pturæ repertæ incenduntur: datur omnibus præda: Rapitur, trepidatur f; discurritur g:

F 3 Ipsi

f *Scripturæ repertæ incenduntur: datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, discurritur.* Oh quam præclara avitæ Religionis nostræ monumenta paucis hisce verbis occluduntur, nec nobis clariora dedit Eusebius Lib. VIII. cap. 2. hist. suæ Eccl., aut alius fide dignus historicus. Si enim solummodo Sacrarum scripturarum Codices igni sunt reservati, cætera; quæ militari licentia distracta sunt, quænam fuisse dicemus? Tacent heic commentariorum Scriptores, facile tamen a nobis ea conjici poterunt ex iis, quæ in actis Proconsularibus Munatii Felicis, Flaminis perpetui, & Curatoris Coloniæ Cirtensis apud S. Augustinum Lib. III. contra Cresconium cap. 29. & fusius in actis pariter Proconsularibus Zenophili v. cl. Consularis ex Pitoei Bibliotheca cum Baronio post primam suorum Annalium editionem communicatis, ac ab eodem in secunda editis ad an. CCCII. n. IX. leguntur. Eodem quippe Diocletianeæ persecutionis initio, eodemque anno, Diocletiano VIII., Maximiano VII. Coss. XIV. Kal. Junias compilata esse, titulus ostendit. In iis ergo hæc a Fossoribus, curiæ Imperialis tradita ministris habentur: *Contrascribente Victore Aufidii in brevi sic: Calices duo aurei: Item Calices sex argentei: urceola sex argentea: Cucumellum argenteum: Lucernæ argenteæ septem: Cereofala duo: Candelæ breves aneæ cum lucernis suis septem: Item lucernæ undecim cum catenis suis* &c. Si hæc Cirtæ in Numidiæ, quid quæso Nicomediæ? Si hæc in Domo Episcopi, quid in Ecclesia omnium præclarissima? Si hæc a persecutoribus effossa, & prodita, quid a fidelibus occultatum, asportatum, ac de more in arcanis obsconditum? Tu ipse judicia, qui legis. Lactantius solummodo ait: *datur omnibus præda*: ubi Heum. legit: *cætera sunt omnibus præda.*

g *Rapitur, trepidatur, discurritur.* Bauldrius hæc intelligenda esse censet de militibus; quum tum Christiani nondum ad Ecclesiam convenerint, laudaturque a Grævio, quod acceperit Τὸ *trepidatur:* pro *tumultuatur, & ab omni parte ad ingrediendum nititur:* adducunturque Terentii, & Livii exempla; At Donatus ad laudatum illud Terent. in Hecyra Act. III. Sc. I. v. 35. ait: *Trepidatio ad vocem refertur loquentium; cursatio ab sonum pedum, & trepidatur ad his, qui morbum putant: cursatur ab*

ab his, qui raptum sciunt. Melius ergo de Templi custodibus, ac de aliis fidelibus illuc concurrentibus, vel de more excubantibus hæc a Maucroixio explicata sunt in sua versione Gallica.

3. Ipsi vero in speculis [a] (in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret.

a *Ipsi vero in speculis*. In Ms. *ipsis*. Spectaculum vere dignum Diocletiano, & Galerio Armentario spectatoribus; qui tamen in speculis non tantum ut viderent, quid accideret stabant; sed potius concertabant utrum ignis potius supponi ædificio deberet, ut Galerius optabat; an ferro dumtaxat esset diruendum, ut Diocletianus imperaverat, ne suscitato incendio magna civitatis pars combureretur, ut statim subdit Lactantius.

4. Vicit sententia Diocletianus, cavens, ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ, ac magnæ domus ab omni parte cingebant.

5. Veniebant igitur Prætoriani [a], acie structa [b], cum securibus, & aliis ferramentis: & im-

a *Veniebant igitur Prætoriani*. Cohors Prætoria duplex erat, altera evocatorum militum; nobilium adolescentum altera, qui sponte cum Prætoribus in Provincias ibant, ut usu rerum peritiores domum redirent, vel nomen in militiam darent.

b *Acie structa*. Al. *instructa*. Sed nihil immutandum censeo non solum quia Virgil. Lib. IX. Æn. V. 42. ait.

Neu struere auderent aciem, neu cedere campo:

Sed etiam quia Cicero ad Octavium Ep. VIII., & ultima post eas, quæ sunt ad Brutum datæ ait:

& immissi undique, tandem illud editissimum[c] paucis horis solo adæquarunt[d].

ait : *A quibus exercitum abducis ? Adversus quem aciem struis ?*

c *Et immissi undique tandem illud editissimum* &c. Varie ab editoribus notarum locum hunc tentatum esse vidimus, legendo pro *tamen*: *tandem* : *Templum* : *Fanum*: *Temenos*; *Tutamen* . Sed nullus adhuc eum sanasse videtur, nam ut bene Bauldrius, & Bunem., observarunt, mutilum potius esse, quam depravatum verba ipsa satis indicant.

d *Paucis horis solo adæquarunt* : Hinc conjice operariorum advocatorum numerum, ac persecutorum immanem, instantemque furorem.

CAPUT XIII.

1. POstridie propositum est edictum[a], quo cavebatur, ut religionis illius homines[b] carerent omni honore, ac dignitate[c], ot tormentis subjecti essent ex quocunque ordine,

a *Postridie propositum est edictum*. Quamvis Eusebius, & Author Cronici Alexandrini longe discrepent in assignanda die publici hujus edicti propositionis, Baluzius tamen eos ita conciliat, ut dicat, Nicomediæ quidem postridie Kal. Martias, Alexandriæ die ipso Paschæ, & ubi tunc degebat Eusebius, mense Martio, appetente die festo Dominicæ Passionis, fuisse vulgatum edictum illud: quæ tamen non levem dificultatem præseferunt, si recipiantur acta S. Georgii Martyris ab Heschenio editis Tom. III. Februarii pag. 107, ubi secundum suam supputationem an. CCCIII. Pascha incidisse, scribit, in diem XVIII. Aprilis; & Dominicam Passionis in diem XVI. ejusdem mensis. Vide Tabulam Chronol. Diss. XXII. cap. II § VII.

b *Ut Religionis illius homines*, Illius nimirum Religionis, quam superius cap. XI. divinam appellaverat.

c *Carerent omni honore, ac dignitate*. Euseb. Lib. VIII. h. E. cap. III. Christophor. interprete. *Tum qui honorem fuis-*

dine, ac gradu venirent [d]: adversus eos omnis actio valeret [e], ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent; libertatem denique, ac vocem non haberent [f]. Quod

fuissent adepti, de gradu turpiter deponerentur, tum privati, si modo in professione Christiana perstarent, libertate penitus privarentur. Ac primum edictum contra eos editum tale fuit. Ex his postremis verbis observa ab edictorum fortasse varietate, ortum habuisse diversitatem opinionum circa diem publicæ propositionis eorumdem.

d *Tormentis subjecti essent ex quocumque ordine, aut gradu venirent.* In superioribus Imperatorum litteris actum fuerat de Persecutione verberibus, aliisque mitioribus pœnis exercenda, a quibus tamen plurimi ratione ordinis, seu gradus secundum leges Romanorum immunes erant. Nunc vero immunitate omni sublata, non solum verberibus, sed etiam exquisitis cruciatibus omnes generatim Christiani, quacumque etiam dignitate fulgentes, subjiciebantur. Vide infra cap. XXI., ex quo superius dicta confirmari poterunt.

e *Adversus eos omnes actio caleret.* Sic in Ms., & sic Baluzius edidit. At Nourrius, aliique legunt *actio omnis*. Al. *contra eos omnes, omnis actio caleret.* Al. *valeret Actio* heic stat pro omni actu, qui a judice, vel coram judice fit, a quo verbum *caleo* non abhorret. Cicer. Lib. IV. Epist. 85. ait: *Itaque judicia calent.*

f *Libertatem denique, ac vocem non haberent.* Eusebius ubi supra ait: *Privati, si modo in professione Christiana perstarent, libertate penitus privarentur.* Ruffinus vertit. *Si quis Servorum permansisset Christianus, libertatem consequi non posset.* Nicephorus Callistus Lib. VII. cap. III. hunc Eusebii locum intellexit de servis, qui si Christianæ Religioni renunciassent, libertatem consequerentur. Valesius, & Baluzius diversimode legem illam intelligunt. Nos vero, quantum ad Lactantii verba pertinet, *libertatis* vocabulum ab eo in sensu obvio usurpatum censemus pro facultate cuilibet naturali, qua id, quod nobis libet facimus, nisi vi, aut jure prohibeamur. Cicer. pro Sextio: *voluntatem semper eandem; libertatem semper eandem non habuisse.* Tunc quippe Fideles Christi nihil jure agere, aut loqui poterant, etsi injuria lacessiti, ut infra clarius constabit.

2. Quod edictum quidam, etsi non recte [a], magno tamen animo, diripuit, & conscidit, quum irridens diceret, victorias Gothorum, & Sarmatarum præpositas [b].

Sta-

a *Quidam, etsi non recte.* Nomen viri istius Lactantius, nescio qua ratione, sub silentio præteriit. Eusebius lib. VIII. cap. V. h. E. illud ignorasse videtur; dicit tamen, eum virum fuisse longe illustrissimum. In Martyrologiis Romano, Bedæ, Adonis, atque Usuardi ad VII. Idus Sept. hæc habentur *Nicomediæ Natalis S. Johannis Martyris, qui quum videret edicta adversus Christianos in foro pendere, fidei ardore accensus, injecta manu, illa detraxit, atque discerpsit: quumque hoc relatum esset Diocletiano, & Maximiano Augustis in eadem urbe constitutis, omnia suppliciorum genera in eum experiri jusserunt.* Sed hæc intelligi de eo non possunt, de quo Lactantius loquitur; nam contigisse dicuntur Diocletiano, & Maximiano *Augustis* Nicomediæ commorantibus, hisce vero temporibus, de quibus nos loquimur nondum Galerius, Augustus dictus erat; sed solummodo Cæsar. Heschenius loco paullo superius laudato, id actum esse narrat ab eodem S. Georgio, cujus acta recitat, qui passus est pariter Nicomediæ die XXIII. Aprilis, quæ secundum suam supputationem fuisset an. CCCIII. feria IV. post Octavam Paschæ. Id tamen improbat Baluzius, & quidem tam ex Petro de Natalibus, quam ex Florentinio, aliisque Scriptoribus commentariorum in vitas SS. Martyrum: & quidem plurima sunt quæ acta illa suspecta reddunt, nec aliquid inde firmum erui posse, argumenta suadent.

b *Victorias Gothorum, & Sarmatarum præpositas.* Ali legunt *propositas.* A subactis Populis, nationibusque nomina Imperatores sæpe desumpserunt, ideoque Baluzius, aliique putant in titulo illius edicti Diocletianum, & Maximianum Herculium Imperatores, ac Galerium, & Constantium Cæsares appellatos fuisse Gothicos, & Sarmaticos, ut in inscriptione quam refert Cuspinianus in lib. de *Cæsaribus* legitur; verum Lactantii verba id mihi non sonant; sed potius irrisionem præseferunt, quasi Martyr ille dixisset: *En Victorias Gothorum, & Sarmatarum!* Qui contra Gothos, & Sarmatas decertare deberent, arma movent in Christianos.

3. Statimque productus [a], non modo extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia [b] postremo exustus est.

a *Statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus.* Sic Baluzius edidit, sic Nourrius; sed Anonym. legit ex Ms. *statimque perductus.* Al. pro *legitime* mallent *lentissime.* Heum. *magna inquit fiducia scribo: lento igne* sed ex Eusebio ista hæc clarissime illustrantur; nam de quodam Martyre loquens cap. VI. lib. VIII. hist. E. ait: *mandarunt nudum in sublime tolli; ac flagellis eo usque toto corpore dilaniari* &c. En quid sibi vult Tò *extortus*: *sed ubi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus ejus jam carne denudatis, acetum sale permistum in corporis membra, cruciatu attenuata, & prope labefacta infuderunt .... inde craticula, & ignis una in medium trahuntur; & reliquiæ ejus corporis, tamquam carnes ad comedendum parata, ignis incendio non raptim ... sed paullatim absumptæ fuerunt*: en quid significat: *legitime coctus.* Unde Plin. lib XXIII. cap. II. eadem phrasi usus *experimentum est*, inquit, *legitime cocta* &c. *extorqueo* autem pro *torqueo*. Vide infra cap. XXVII.

b *Cum admirabili patientia.* De eodem, qui supra Eusebius ait: *lætitiam, ac tranquillitatem animi usque ad ultimum Spiritum conservavit.*

CAPUT XIV.

1. SEd Cæsar non contentus est edicti legibus, [a] aliter Diocletianum aggredi parat.

a *Sed Cæsar non contentus est edicti legibus.* Nempe Galerius Maximianus Armentarius, qui nondum erat Augustus. Heum. delet Tò *est*.

2. Nam, ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris

nistris palatio subjecit incendium [a], & quum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur [b], velut hostes publici, & cum ingenti invidia [c] simul cum palatio Christianorum nomen [d] ardebat, illos, consilio [e] cum eunuchis habito [f], de extinguendis principibus [g] cogitasse; duos imperatores domi suæ pene vivos esse combustos [h].

a *Occultis ministris palatio subjecit incendium*. Quam caussam nescivisse se, testatur Eusebius ubi supra.

b *Christiani arguebantur*. Quasi ipsi dolo malo incendium suscitassent; quæ, si meministi, etiam sub Nerone in odium eorundem excogitata jam diu fuerat calumnia.

c *Et cum ingenti invidia*. In Ms. *ingenti vidia* ex Anon. Heum. delet Τὸ *cum*.

d *Christianorum nomen*. Heum. Christianum nomen ex Tertull. Apol. cap. v., & ex Liv. lib. IX. cap. XL.

e *Illos, consilio*. In Ms. *illo consilio*.

f *Cum Eunuchis habito*. Superius de Eunuchis, qui ad Regum thalamos custodiendos adhibebantur, quum *Eunocchi*, & per Synæresim *Eunuchi*, me jam dixisse memini.

g *De extinguendis Principibus*. In Ms. *dextinguendis*.

h *Pene vivos esse combustos*. Videtur deesse verbum: puta *dicebat* Galerius, qui sibi Imperatoris aptabat nomen.

3. Dioclatianus vero, qui semper se volebat videri astutum, & intelligentem [a], nihil potuit suspicari [b]; sed ira inflammatus [c], excar-

a *Qui semper se volebat videri astutum, & intelligentem*. Modus loquendi Plauto, Terentio, Ciceroni, & Livio usitatus ut notavit Græevius ad Cicer. pro Archia. Lactantius lib. I. cap. XVIII. lib. II. cap. VIII. lib. V. cap. XII. &c. eodem utitur. Quamvis etiam sine pronomine dici eleganter possit.

b *Nihil potuit suspicari*. Scilicet de Galerii impostura.

excarnificari omnes suos protinus præcepit [d].

c *Sed ira inflammatus*. Lact. lib. VII. cap. XVII. *Ira inflammatus*.

d *Excarnificari omnes suos protinus præcepit*. In Ms. *cæpit*: Columbus, & Bauldrius mallent: *excarnificate*. Pro Tò *omnes suos*: intellige eos, qui erant de Familia Imperiali domestica, ut infra sit manifestum & ex cap. XV.

4. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat [a], item judices universi, omnes denique, qui erant in palatio magistri, data potestate, torquebant [b].

a *Et innocentes igne torrebat*. Miegus legit *torquebat*. Bunem. mallet *terrebat*.

b *Data potestate torquebant*. In Ms. *torquebantur*. Lact. lib. V. Lap. XI. *Accepta enim potestate pro suis moribus quisque sæviit*.

5. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret [a]. Nihil usquam reperiebatur [b]; quippe quum familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse [c], & instabat, nec patieba-

a *Erant certantes quis prior aliquid inveniret*. Lact. ubi supra. *Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quam victoriam excogitant*. Anonym delet Tò *erat*, & legere mallet: *torquebant certantes* &c. Intellige hæc acta fuisse, ut vi tormentorum Authores incendii deprehenderentur, ideoque subdit.

b *Nihil usquam reperiebatur*. Scilicet, quia quum rei essent de Familia Cæsaris, & eos nullus tangere auderet, jam non erat quis illos posset judicibus manifestare: quæ omnia fiebant ex Galerii machinatione, qui Domesticos Diocletiani examinari, & torqueri voluit, quia inter eos Christiani plurimi erant, nec aliquis de incendio conscius. Suos vero ne in suspicionem quidem venire passus est, quia & complices fuerant, & nemo Christianus.

c *Aderat ipse*. Scilicet Galerius.

batur iram inconſiderati ſenis deflagrare [d].

d *Iram inconſiderati ſenis deflagrare*. Veluti ſub oculis ponere Author noſter voluit co natum Galerii, ne ira Diocletiani in Chriſtianos concepta tepeſceret, ipſum ſedulo inſtitiſſe, novis ſemper contra eos ſtimulis Auguſtum agitando.

6. Sed quindecim diebus interjectis aliud rurſum incendium molitus eſt [a].

a *Aliud rurſum incendium molitus eſt*. Nempe idem Galerius. Adde, & tertium, nam Conſtantinus in Oratione ad SS. Cœtum idem Palatium de Cælo tactum conflagraſſe tandem narrat.

7. Id celerius animadverſum; nec tamen author apparuit. Tunc Cæſar [a] medio hyemis, profectione parata, prorupit [b], eodem die conteſtans fugere ſe, ne vivus arderet.

a *Tunc Cæſar*. Nova arte, ut magis, magiſque inconſideratum ſenem Diocletianum contra Chriſtianos furore inextinguibili accenderet.

b *Medio hyemis profectione parata, prorupit* &c. Intellige non tunc profectionem Galerium paraſſe, ſcilicet poſt ſecundum ſuſcitatum incendium, ſed quum antea ex induſtria paraſſet effugere, tam ad cautelam, ſi fraus ejus detegeretur, quam ob ſimulatam Domini ſui curam, id impleviſſe, addens ſe diutius ibidem commorari nolle, ne vivus arderet, quo effato vehementius Auguſtum ad perſequendos Chriſtianos incitavit: ideoque ſine ratione hunc locum vexat, & detorquet Nourrius.

CAPUT XV.

1. FUrebat ergo Imperator [a] jam non in domeſticos tantum [b]; ſed in omnes, & pri-

& primam omnium filiam Valeriam [c], conjugemque Priscam [d] sacrificio pollui coegit [e]. Po-

a *Furebat ergo Imperator*. Scilicet Diocletianus.

b *Jam non in domesticos tantum*. Vide, quæ a nobis dicta sunt cap. præcedenti.

c *Primam omnium filiam Valeriam*. Hæc Diocletiani Filia nupta fuerat Galerio quum is Cæsar renunciatus fuit, & simul uxorem, quam duxerat, repudiasset. Aurel. Vict. cap. XXXIX. de Cæsar. loquens de Constantio Chloro, ac Galerio Armentario ait. *Prior Herculii privignam, Alter Diocletiano editam sortiuntur, diremptis prioribus conjugiis* &c. Et Eutropius lib. IX. Brev. *Atque ut eos etiam affinitate conjungeret, Constantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos, Constantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulsi*. De eadem vide ad cap. LI.

d *Conjugemque Priscam*. Ex his Lactantii verbis Baluzius, & Pagius, aliique quidam post ipsos pro explorato habent, Diocletianum nullam aliam habuisse uxorem, ideoque falsa omnia esse, quæ de Serena in Martyrologio Romano, de Eleuteria in vita Vigilii Papæ apud Anastasium; ac de Alexandra in Actis S. Georgii, leguntur. Verum criticis legibus viros hosce abuti in Diss. XXXI. cap. III. §. X: 11. demonstravimus.

e *Sacrificio pollui coegit*. Etsi quodammodo cogi, pollui tamen nullatenus istæ hæc feminæ potuissent nisi Christianæ tunc essent, quare mirum est Baluzium in suis notis ad hunc libellum quas secundis curis edidit, & cum Bauldrio communicavit, quæsivisse *quomodo existimari potest sacrificio fuisse pollutas etiam coactas?* Quum idem Lactantius lib. V. cap. 13. dixerit: *peccare homines, & inquinari possunt, averti autem non possunt a Deo* &c. Id explicans, quod heic non intelligere se posse fatetur Baluzius; cujus nec secunda ratio ibidem allata aliquid evincit; quamvis enim infra cap. LI., & sequenti, ubi de iis iterum mentio fit, nullum vestigium Religionis earum appareat: non tamen alicubi aliquid invenies, quo eas evinci possit non fuisse Christianas. Ex hoc ergo unico loco lis omnis dirimenda erat, dicendumque Christianas quidem fuisse, sed non tantæ fortitudinis, & virtutis, ut Tyranni imperio repugnarent. Vide infra L. C.

2. Potentissimi quondam eunuchi [a] necati, per quos palatium, & ipse ante constabat [b]; comprehensi presbyteri, ac ministri [c], & sine ulla probatione, ac confessione [d] damnati cum omnibus suis deducebantur.

a *Potentissimi quondam Eunuchi*. In Ms. *cdā*. Inter hosce potentissimos Eunuchos Baluzius recenset Sanctum Martyrem Petrum, de cujus certamine egit Eusebius lib. VIII. cap. VI., & S. Indem pariter Martyrem de quo in Martyrologio Rom, & aliis agitur quinto Kal. Januar.

b *Per quos Palatium, & ipse ante constabat*. Heum. forte scriptum fuisse putavit: *quos Palatium rexisse ante constabat*.

c *Comprehensi Præsbyteri, ac Ministri*. Intellige universum Ecclesiasticorum cœtum, eorumque domesticos, cujuscumque sexus, & ætatis; de iis enim orationis ordo continuat.

d *Ac confessione*. In Ms.: *ad confessionem*. Vel *aut confessione*. In Al. autem secunda vox sic legitur, ut a nobis exhibetur.

3. Omnis sexus, & ætatis homines ad exustionem rapti; nec singuli, quoniam tanta erat multitudo; SED gregatim [a] circumdato igni ambiebantur; domestici alligatis ad collum molaribus mari mergebantur [b].

Nec

a *Sed gregatim*. Sic lege; non *& gregatim*, ut habet Ms.

b *Circumdato igni ambiebantur: domestici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur*: locus non solum mutilus, sed etiam male distractus in Ms. *molalibus*: Sunt qui comam ponunt ante Tò *domestici*, ut scilicet intelligantur ii mare mersi, nec male, sed tunc in antecedentibus deest aliquod pronomen, ut sensus sit: *illi*, scilicet Præsbyteri, & Ministri, utpote rapti ad exustionem, *Circumdato igni ambiebantur*: *domestici* vero eorum, vel Palatini, *mari mergebantur*. Sunt qui pro *ambiebantur* legendum putant *amburebantur*, & pro *alligatis*: *alii ligatis*.

4. Nec minus in cæterum populum [a] persecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa dispersi [b], universos ad sacrificia cogebant.

a *Nec minus in cæterum populum*. Recensitis Eunuchorum, Ecclesiasticorumque suppliciis, ad alios Nicomediæ Incolas orationem Author noster convertit, quamvis non desint qui eum intelligant de omnibus nationibus Imperio Romano subjectis.

b *Nam Judices per omnia Templa dispersi*. Non quia Christiani sponte Idolorum templa frequentarent, eorum Religionem vitandæ persecutionis caussa simulando; animo tamen parato ad non idolatrandum, sed illuc vi ducebantur, ut coram Judicibus, Idolis sacrificarent, vel si recusassent, rei haberentur; ut ipsa verba ostendunt; nec contrarium evincunt, quæ in Epistola ad Paulum Voetium Cuperus congessit.

5. Pleni carceres erant: tormentorum genera inaudita excogitabantur; & ne cui temere jus diceretur [a], aræ in secretariis, ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. Sic ergo ad judices, tanquam ad Deos adiretur.

a *Ne cui temere jus diceretur*. Jam superius cap. XIII. vidimus, Christianis ablatam fuisse libertatem agendi contra quoscumque, qui eos injuria affecissent, ideoque, ne contra hanc legem agere viderentur Judices in suis tribunalibus Aras posuerunt, ut nullus causas suas exponere, posset, nisi prius Idolis sacrificasset.

6. Et jam litteræ [a] ad Maximianum [b], atque

a *Et jam littera*. In Ms. *etiam* quod Heumanno placuit.

b *Ad Maximianum*. Scilicet. *Herculium* tunc Augustum.

atque Constantium [c] commeaverant, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus expectata non erat [d]. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam [e], homo non adeo clemens [f].

c *Atque Constantium*. Nempe Chlorum, Constantini Patrem, tunc Cæsarem.

d *Expectata non erat*. In Ms. *spectata*. Hinc Collige, quod in rebus magni momenti soliti erant Imperatores collegas suos, & Cæsares in consilium vocare, vel per Nuncios, aut Epistolas eorundem sententiam rogare: Hoc tamen a Diocletiano in decernenda Christianorum persecutione prætermissum, quasi satis ei fuisset consilium eorum, quibuscum Nicomediæ vidimus hac de re egisse.

e *Paruit per Italiam*. Quam regendam Herculius susceperat, ut diximus ad cap. VII. & VIII.

f *Homo non adeo clemens*. Idest ferus, ac inhumanus sic eum describit Eutropius lib. IX. *Herculius autem propalam ferus, & incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans*. Et lib. X. *ad omnem asperitatem, sævitiamque proclivis, infidus, incomodus, civilitatis penitus expers*.

7. Nam Constantius, ne dissentire [a] a majorum præceptis [b] videretur, conventicula, id est, parietes [c], qui restitui poterant, dirui passus est [d]; verum autem DEI tem-

a *Ne dissentire*. In Ms. ex Anom. *desentire*.

b *A Majorum præceptis*. Hinc erui debet, Diocletianum in litteris ad Constantium datis, non suo nomine tantum persecutionem Christianorum mandasse, sed etiam nomine Herculii; nam hi duo duntaxat erant Constantio Cæsare Majores, quum ipse æqualis in dignitate esset Armentario.

c *Conventicula, id est parietes*. Ædem Sacram Christianorum sic hisce temporibus appellabant, quamvis, ut in superioribus visum est, aliquando *Ecclesiam*, aliquando *Templum* Lactantius eam nominaverit.

templum, quod est in hominibus, incolume servavit [e].

d *Dirui passus est*. Intellige aliquam particularem, non plurimas, nec ubique in sua ditione positas; nam Eusebius lib.I. de Vita Constantini cap.ix. ait: *Quum quatuor in Romani Imperii gubernandi Societate jungebantur, solus hic fœdere amicitiæ cum Deo, omnium gubernatore, pacto, modum vitæ a cæterorum institutis alienum, disparemque consectatus est. Illi enim Dei Ecclesias obsidione vastare, evertere radicitus, solo æquare, ac templa concussis fundamentis, disturbatisque prorsus delere aggressi sunt: Hic autem à nefando, & detestabili illorum scelere manus integras, & inviolatas continuit, neque ulla ex parte se similem eis præbuit*. Idem fere habet lib. VIII. hist. Eccl. cap. XIII.

e *Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavit*. Non tamen Gallia immunis fuit a persecutione Diocletianea, ut capite sequenti demonstrabimus. Vide Lact. lib. V. cap. VIII. lib. VI. cap. 25.

CAPUT XVI.

1. VExabatur ergo universa terra [a], & præter Gallias [b], ab Oriente usque ad

a *Vexabatur ergo universa terra*. Scilicet Imperio Romano subjecta.

b *Præter Gallias*. Acta plurimorum Martyrum huic narrationi opposita esse noscuntur; legitur enim in Martyrologio Rom. pridie Non. Octob. *Treveris commemoratio innumerabilium pene Martyrum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro ob Christi fidem vario mortis genere necati sunt*. Adde Sigebert. in Chron. ad an. MLXXI. Molanum in addit. ad Usuard. &c. Hinc Baron. ad an. CCCIII. n. CXXIV. ait: *Exundaverunt & Galliæ Sanguine Martyrum* &c. Quod Eusebii testimonio valide confirmatur in fine libri de Martyr. Palæstinæ, ubi ait: *Quæ ulterius sita sunt Regiones, Italia videlicet tota, & Sicilia,*

ad occasum, tres acerbissimæ bestiæ [c] sæviebant.

lia, Gallia quoque, & quæcumque ad occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania, & Africa quum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli expertæ essent, divini numinis præsentissimum auxilium, & pacem brevi sunt consecutæ. Baluzius sic ista conciliari posse autumat, ut intelligantur de persecutionis initio, quum scilicet Constantius occupatus fuisse dicitur contra Barbaros, laudatque Bosquetum lib. IV. hist. Eccl. Gall. cap. II. Pagius vero in Crit. ad an. CCCIII. n. VIII. verosimilius putat dici posse, Martyres, qui Diocletiano, & Maximiano sævientibus passi dicuntur in Gallia, eos fuisse, qui Herculio adhuc Cæsare in Gallias adversus Bagaudas agente, morte sunt affecti. Sed quum Galliæ nomen diversimode pro varia temporum ratione acceptum sit, & ex Augusti temporibus Rhenus amnis Treviros ab Ubiis, tamquam Galliæ terminus, divideret, Præfectum peculiarem Treviros habuisse, facile mihi persuadeo, (& quidem nomine tunc Rictiovarus, qui diu ibi Præfecturam egit,) eumque Imperatorum edicta, etsi Constantio Cæsare id ægre ferente, executioni quousque potuit demandasse. Vide Baron. ubi supra.

c *Tres acerbissimæ bestiæ.* Scilicet Diocletianus, & Maximianus Herculius Augusti, & Maximianus Galerius Cæsar, quos præ nimia feritate Bestias appellat, ut supra diximus, & ad lib. V. cap. XI., ubi Noster ait: *nec immerito a Prophetis Bestiæ nominantur* &c.

2. *Non mihi* [a] *si linguæ centum sint, oraque centum,*
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

G 2 Quæ

a *NON MIHI* &c. Versus Virgilii sunt VI. Æn. a ṽ. 625. in Ms. depravati, nam in primo deest τὸ sint; in secundo vero, & tertio: *comprehendere pœnas omnium pœnarum* &c.

Quæ judices [b] per Provincias justis, atque innocentibus intulerunt.

b *Quæ Judices*. Potius legendum puto, *quas*, scilicet *poenas*; non enim poenarum nomina solummodo innocentibus intulerunt. Sic Spark, aliique.

3. Verum quid opus est illa narrare, præcipue tibi, Donate charissime, qui præter cæteros [a] tempestatem turbidæ persecutionis expertus es?

a *Præter cæteros*. Scilicet: *præ cæteris*; ut sæpe in Lactantii libris observavimus.

4. Nam, quum incidisses in Flaccinum Præfectum [a], non pusillum homicidam [b], deinde in Hieroclem ex Vicario præsidem [c], qui auctor, & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremo in Priscillianum successorem ejus [d], documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti.

a *In Flaccinum Præfectum*. Scilicet Bithyniæ, ut vult Baluzius, quem alii secuti sunt, nullo tamen antiquorum testimonio allato.

b *Non pusillum homicidam*. In Ms. *non pusillam*.

c *Deinde in Hieroclem ex Vicario Præsidem*. De eodem suppresso tamen nomine, Lactantius lib. v. cap. 2. ait: *alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat tunc e numero judicium, & qui author in primis faciendæ persecutionis fuit* &c. Sicuti sapienter conjecit Baronius ad an. CCCII. n. LVIII. ex libri titulo, ut jam alibi diximus.

d *Priscillianum successorem ejus*. In Martyrologio Rom. Pridie Idus Junias. *Niceæ in Bithynia S. Antoninæ Mart., quæ in eadem persecutione, (nempe Diocl. & Maxim.,) a Prisciliano Præside jussa fustibus cædi, suspendi in equuleo, lateribus laniari, flammis incendi, ac demum gladio necari*.

5. Novies enim tormentis, cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti. Novem præliis Zabulum [a] cum satellitibus suis debellasti; novem victoriis sæculum cum suis terroribus triumphasti.

a *Novem præliis Zabulum.* Dodvvellius Diss. sua XI. Cyprian. n.88., & seq. ex Epist. Smyrnæor. de Martyr. S. Polycarpi, & ex Eusebio in lib. de Martyr. Palest. cap.6. eruit, Christianos in carceribus ab Ethnicis religionis caussa detentos, expositos fuisse in ludis publicis, ut cum bestiis, atque gladiatoribus pugnarent, variisque toto spectante populo tormentorum generibus afficerentur; quod toto sexennii intervallo sub tribus Præsidibus sibi succedentibus, novies Donatus passus est. Vide Lactantium lib. VI. cap. XX. *Zabuli* autem vocabulum usurpatum sæpe legimus pro Diabulo significando; nam littera Z. apud antiquos syllabam *di* sonabat, ut apparet in vocibus *Zeta* : *Zavita*. *Zacones* &c. pro *Dieta* : *Diavita* : *Diacones* &c.

6. Quam jucundum illud spectaculum DEO fuit, quum victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos [a]; sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem [b]?

G 3 Hic

a *Non candidos equos, aut immanes Elephantos.* M. Furius Camillus quum de Vejis triumphum ageret primus omnium curru equis albis juncto in Urbem invectus est ex Liv. lib. V. cap. 23. & Aurelianus de Zenobia, & Tetrico triumphans XX. Elephantos ante currum duxit ex Vopisco.

b *Triumphatores currui tuo subjugantem.* Heinsio hæc phrasis suspecta visa est, hinc legere placuit *subjungentem*, ex illo Virgilii Eclog. V. ℣. 29.

Daphnis, & Armenias
curru subjungere tigres
Instituit. . . *ubi Servius notat* Curru *pro* Currui.

posi-

positum esse. At Lact. lib. IV. cap. 10. lib. VII. cap. 15., & 24. de Ira c. XIII. Epitom. cap. XXX., & infra cap. XXIII. eodem modo verbum *subjugo* construxit.

7. Hic est verus triumphus quum dominatores dominantur [a]: Victi enim tua virtute, ac subjugati sunt, quandoquidem nefanda jussione [b] contempta, omnes apparatus, ac terriculas [c] tyrannicæ potestatis fide stabili, & robore animi profligasti.

a *Quum Dominatores Dominantur*. Thom. Gale legit. *Domitantur*. *Dominor verbum deponens passivum est* Cicer. lib. I. Offic. *O domus antiqua heu quam dispare Dominare Domino!*

b *Nefanda jussione*. Lact. lib. V. cap. 15 lib. V. cap. 13.

c *Ac terriculas*. Vide ad lib. I. cap. 22.

8. Nihil adversus te verbera, nihil ungulæ [a], nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem, ac devotionem nulla vis potuit.

a *Nihil ungulæ* &c. Jam de iis tormentorum generibus supra locuti sumus ad cap. I.

9. Hoc est esse discipulum DEI, hoc est militem Christi [a], quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris cælestibus rapiat, nullus laqueus inducat [b], nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat.

De-

a *Hoc est militem Christi*. Subintelligas ex superiori commate Tò *esse*, sed non addas.

b *Nullus laqueus inducat.* Al. *induat.* Al. *nullus equuleus inducat.* Sed nihil mutandum, nam *inducto* usurpatur heic pro *allicio.* Lact. lib. I. de Opif. *omnia quæ illicere possunt pro laqueis habet.*

10. Denique post illas novem gloriosissimas pugnas, quibus a te Zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot præliis expertus est non posse superari [a].

a *Superari.* In Ms. *superare* ex Anon.

11. Et quum tibi parata esset victrix [a] corona, desiit amplius provocare; ne jam sumeres. Quam licet non acceperis in præsenti [b]; tamen integra tibi pro virtutibus tuis, & meritis in regno DEI [c] reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

a *Parata esset victrix corona* S. Cypr. Epist. olim VIII. nunc IX. de hujusmodi corona loquens, ait: *erat ante in operibus Fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec Lilia, nec Rosa desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas.* Et quidem utraque dignus factus est Donatus iste, quem tamen quisnam fuerit hactenus ignoramus.

b *In præsenti,* Al. addunt *tempore.* Al. *sæculo.* Al. intelligunt referendum ad Τὸ *Regno Dei.* Ecclesia enim Regnum Dei est. Sed etiam si nihil addas, nec Regno Dei jungas optime latine dicitur: *in præsenti* pro eo, quod nunc contingit. Cicer. lib. II. famil. Epist. 10. *Hæc ad te in præsenti scripsi.*

c *In Regno Dei.* In Ms. *in Regno Dni.* Scilicet *Domini* ex Anonym. Apost. ad Thim. Ep. II. cap. 4. n. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ* &c.

CAPUT XVII.

1. Hoc igitur scelere perpetrato Diocletianus, quum jam [a] felicitas ab eo recessisset [b], perrexit statim Romam [c], ut illic Vicennalium diem celebraret [d], qui erat futurus a. d. duodecimum Kalendas Decembres [e].

Qui-

a *Diocletianus, quum jam* &c. Langletius ex Ms *Diocletiani*

b *Quum felicitas ab eo recessisset*: nimirum illa felicitas, de qua cap. IX. in Ms. *eum felicitas*.

c *Perrexit statim Romam*. Vide Tabulam Chron. Diss. XXII. cap. II §. VII.

d *Vicennalium diem celebraret*. Plurima hujus generis festa apud Romanos, in memoriam illius diei, in quo eorum Principes Imperium susceperant, vel Cæsares renunciati erant, celebrabantur; nam quum primum dignitatem illam subibant, a Populo vota publica pro quinquennalibus; completo lustro, pro decennalibus; eoque denique, vel XV. Imperii anno expleto, pro Vicennalibus obtinendis, fundebantur. Nazar. in Paneg. quem dixit Constantino Aug. anno CCCXXI. qui erat XV. Imperii ejusdem, sic ait: *Quintum decimum annum maximus Princeps salutaris Imperii degit, sed auguramur jam vicennalia .... quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia, & spes volucres constiterunt*. Id idem constat ex Paneg. Porphyrii, cujus fragmenta extant apud Pithoeum,

Sancte Pater rector superum vicennia læta
Augusto, & Decies crescant solennia natis.

Hæc vota a populo nuncupata, lustro expleto, pluribus diebus solvebantur, Diisque agebantur gratiæ. Imperatores vero militibus donativum, Plebi annonam, reis veniam, cunctis munera, Ludos, & etiam pecunias obsignatas notis numeralibus hisce annis; & votis respondentibus, distribui, & exhiberi curabant. Vide Occonem in numm., & Noris. Diss. de votis decenn.

e *Qui erat futurus ad duodeci-*

decimum Kalendas decembres Eminentissimus Baronius de Vicennalibus Constantini agens an. cccxv. num. 11. ait: *Solita erat fieri ejusmodi pro salute Principis votorum nuncupatio, tertia die post Kalend. januarias, quando singulis annis una libra auri in LXXII. solidis obrizis ipso anni principio, offerri consueverat.* Pagius ibidem num. 1. suæ Criticæ bene corrigit Baronii erratum; falsum enim est hujuscemodi vota nuncupari solita fuisse III. die post Kal. Januarias; nam ex hac Lactantii nostri authoritate clarissime eruitur, hoc fieri consuevisse ea recurrente die sive post decennium, sive deinceps, in qua illius Principis contigerat inauguratio, quæ *dies Imperii Natalis dicebatur.* Illa vero, de qua Baronius meminit, quæ celebrabatur die tertia post nonas januarias, diversa erat ab ea de qua Lactantius loquitur, ut ostendit idem Pagius ex veteri Kalendario a Lambecio in lucem edito, & ex Paulo I. C. lib. L. ff. de V. S. ubi ait: *Post. Kal. Januar. die tertia pro salute Principis vota suscipiuntur.* Tunc enim anni novi auspicia Principibus exhibere Senatus consueverat, ut demonstratur ex Nummo Antonini Pii, & Adriani apud Occonem, in cujus postica parte hæc inscriptæ sunt littetre

S. P. Q. R.

A. N. F. F.

O P T I M O.

P R I N C I P I.

Scilicet; P I O.

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS

ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM &c.

Quod autem dies natalis Imperii Diocletianei fuerit XII Kal. Decembres, propugnat Baluzius heic; negat vero Pagius n. XII. suæ Crit. ad An. 284., & nota prima ad an. CCCIII. Baronii, qui & ipse aliam ab iis diversam hujus Imperii diem assignat an. CCLXXXIII. num. I. nempe XI. Kalendas Maji, scilicet ipsis parilibus cui jam contradixerat Petavius lib. XI. de doctrina temporum cap. XXX. ubi docuerat diem, in quo Diocletianus ab exercitu dictus est Imperator, fuisse XV. Kal. Octobres. Vide Tabul. nostram Chron. Diss. XXII. ca. II. §. VII. Non enim tantorum Virorum dissidia breviter, & perspicue heic a nobis dirimi possunt.

2. Quibus solennibus celebratis, quum libertatem populi Romani [a] ferre non poterat, impatiens, & æger animi, prorupit ex urbe, impendentibus Kalendis Januariis [b], quibus illi nonus consulatus deferebatur [c].

---

a *Quum libertatem Populi Romani* &c. id est *quoniam* in Ms. *libertate*.

b *Prorupit ex Urbe impendentibus Kal. Januariis*. Scilicet post mensem integrum, in quo festa Vicennalia omni magnificentia Romæ celebraverat.

c *Nonus consultus deferebatur*. Kal. Januariis novi Consules procedebant novo anno diem daturi. Hinc Clandian. Consul. VI. Honor. vers. 21. ante finem;

Jamque novum fastis aperit felicibus annum
Ore coronatus gemino..

Ne credas tamen, quod tunc Senatus re vera Consulem designasset Diocletianum, quum jamdiu Imperatores in suam potestatem usurpassent sibi, vel aliis eam dignitatem conferre; iis vero, quos Imperatores designabant Consules, insignia Consulatus mittebantur a Senatu; & hæc deferri debebant Diocletiano, qui se jam IX. Cos. designaverat. Valerianus apud Vopiscum sic Aurelianum hac de re allocutus est: *Te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet etiam fasces. Hac enim Imperator non solet dare, sed a Senatu, quando fit Consul accipere*. Ideoque Ravennæ, ubi post XIII. dies Consul processit Diocletianus, hæc accepisse, seu potius retinuisse dicendum est.

3. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius, quam Ravennæ, procederet consul: sed profectus hyeme [a], sæviente fri-

---

a *Sed profectus hyeme* &c. Non solum Vicennalia Romæ celebraverat Diocletianus, sed iisdem diebus egit etiam triumphum de Persis, quos annis superioribus Maximianum Galerium vicisse cap. IX. vidimus. Hanc historiam, optima conjectura,

frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem, ac perpetuum traxit [b]; vexatusque per omne iter, lectica [c] plurimum vehebatur.

ctura, Scaligerus in notis ad Eusebium firmaverat; quem tamen immerito erroris deinde postulavit Valesius inquiens: *Quum nec triumphi per hyemem agi solerent ab Imperatoribus Romanis, nec Diocletiani ætas, ac valetudo tam longi itineris laborem hybernis mensibus sustinere valuerit.* Bene ergo ait Baluzius subdens hisce verbis. *Hæc tamen, quæ absurda visa sunt V. C., vera sunt, & ea pro veris agnovisset ipse si hanc Lactantii lucubrationem vidisset* &c.

b *Morbum levem, ac perpetuum traxit.* Hæc locutio quibusdam minus latina visa est, ideoque cum Grævio, Boherello, ac Tollio legendum putant: *morbum levem, at perpetuum contraxit.* Sed nihil mutandum, nam *molestiam, dolorem, malum, & quid simile trahere* ex aliqua Caussa, optime dicitur. Cicer. lib. IV. famil. Epist. III. ad Sulpicium. *qui majorem ex pernicie, & peste Reipublicæ molestiam traxerit.* Plin. lib. XXIII. cap. I. *quæ per se cariem traxere.* Ovidius Trist. lib. V. Cl. XIII. ℣. 3.

Æger enim traxi contagia corpore mentis.
Libera tormento pars mihi nequa vacet.

c *Iter lectica.* In Ms. *inter Lecticam* ex Anonymo.

4. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ strigæ [a] Nicomediam venit [b], morbo jam

a *Per circuitum ripæ strigæ.* Baluzius, *aut mendum cubat in hoc loco*, ait, *aut Ripæ strigæ nomine intelligitur ora Propontidis* &c. Sparkius *Ripa strigonia* in editione Oxon. an. 1680. legendum obtulit; sed in editione an. 1684. melius edoctus nihil mutandum censuit. quum invenerit, *Strigam* vocem esse gromaticam, significareque scamnum in longitudinem productum, & ex Festo vocem rusticam esse, sulcum indicantem. Boherel. legit *Ripa Istrica*, sive de Istro fluvio, sive de Istris ad sinum Adriaticum intelligas. Vossius *Ripæ Phrygiæ*. Heinsius, & Langletius *Histriæ*, *vel Histrica*. Varii Auct. de Li-

jam gravi insurgente [c]. Quo quum [d] se premi videret, prolatus est tamen [e], ut Circum, quem fecerat [f], dedicaret anno post vicennalia repleto [g].

Limit. apud Panvin. pag. 26. ECICYLANUS AGER, PER STRIGAS, & *scamna in centuriis est assignatus*. Vide Diss. Dodvelli de *Ripa Striga*, una cum itinerario Antonini dicto, & a Toinardo illustrato.

b *Nicomediam venit*. Ibidem ergo tunc morabatur Lactantius.

c *Morbo jam gravi insurgente*. Anonym. mallet *ingruente*. Tollius *jam gravius insurgente*, Bunem. *gravius urgente*, quamvis & ipse nobiscum, & cum Bauldrio nil censuerit mutandum.

d *Quo quum*. Vvalchius edidit: *Quo ut cumque*. Allixius putat heic cubare mendum, Colomesius: *Cumque se* Galequo *cum se*. Grævius *quo utcumque se*, aut *quò cum undique se*. *Langlet. quo cum que se* per metathesim pro *quoque*: Ex his omnibus nescio quam eligam, quum vix ulla emendatio sit, quæ locum depravatum plene sanare queat.

e *Prolatus est tamen*. Morbi gravitatem indicans sic locutus est Lactantius, quasi nisi ab aliis proferretur, se coram ostendere non valeret.

f *Ut Circum, quem fecerat*. Hic est Circus, de quo cap. VII. dixerat.

g *Anno post vicennalia repleto*: Die scilicet ad Imperium Natali, vicennalibus claudendis designato a. d. XII. Kal. Decembres; ut bene ostendit Baluzius & Pagius ad an. CCXCVIII. suæ Criticæ. *Termæ, templa, aliaque opera publica quinquennii initio de more incohabantur, eoque expleto dedicabantur, ut multis exemplis liquet*.

5. Deinde ita languore oppressus [a], ut per omnes deos [b] pro vita ejus rogaretur [c], do-

---

a *Ita oppressus*, more Lactantiano subaudiendum verbum *est*.

b *Per omnes Deos*. Scilicet ubicumque Dii colebantur. Sic Livius *per compita supplicatum* lib. VII. de Bel. Punic. cap. XVIII.

c *Pro vita ejus rogaretur*. Scioppius hoc loquendi genus perperam reprehendit, nam ut bene vidit Grævius, est non solum

donec idibus Decembribus luctus repente in palatio, mœstitia, & lacrymæ, judicum trepidatio [d], & silentium.

lum a Phædro, sed etiam a Cicerone usitatum in Orat. ad Quirit. de reditu suo. *Ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.*

d *Judicum trepidatio.* Qui, ut Principis voluntati assentirentur, justitiæ, æquitatis, ac religionis leges vitiaverant, terrore concussi huc, illac jactabantur, nec amplius imperiosæ eorum voces audiebantur.

6. Tota civitate jam non modo [a] mortuum, sed etiam sepultum dicebant; quum repente mane postridie pervagari fama, quod viveret; domesticorum, ac judicium vultus alacritate mutari.

a *Tota civitate jam non modo.* Anom. diversimode distinguit; nimirum, *& silentium tota Civitate. Jam non modo.* Sed male: nam trepidatio, & silentium ad judices referuntur; non autem ad Civitatem, per quam rumor vagus increbuerat: Diocletianum *non modo mortuum: sed etiam sepultum* fuisse.

7. Non defuerunt, qui suspicarentur, celari mortem ejus, donec Cæsar veniret [a], ne quid forte a militibus novaretur.

a *Donec Cæsar veniret:* Nempe Galerius, qui non multum distabat.

8. Quæ suspicio tantum valuit [a], ut nemo

a *Tantum voluit* Anonym. lege, ait, *invaluit*; sed non ex Ms., neque id sensu expostulante.

mo crederet, eum vivere, nisi Kalendis Martiis prodisset, vix agnoscendus, quippe qui anno fere toto[b] ægritudine tabuisset.

b *Anno fere toto* in Ms. *tota* ex Anonym. & Langletio.

9. Et ille idibus Decembribus morte sopitus[a], animam receperat[b]; nec tamen totam[c]. Demens enim factus est[d], ita ut cer-

a *Morte sopitus*. Non extinctus; mors enim heic usurpatur pro morbo de se mortifero, quo cum, ceu luctabatur Diocletiani Anima, ne toto corpore compelleretur excedere, & quamvis facultates ejus, vitiatis organis corporeis, sopierit, non tamen eam discedere, & separari coegit. Est autem modus loquendi Lactantianus, nam de Opif. Dei cap. xviii. *Anima morte sopiri, animus somno*; & paullo infra: *perpetua morte sospiri*. Non vero hac, sed veluti temporaria fuit correptus Imperator, eamque Medici *Lypothymiam* vocant, in quo morbi genere spiritus pauci supersunt, levis sanguinis in corde motus, vix sensibilis, & interdum per spatium trium, quatuorve pulsuum cessans ictus.

b *Animam receperat*. Scilicet spirituum motum, ac sensum, quem amiserat.

c *Nec tamen totum*. Lib. II. Regum cap. I. v 9. *Adbuc tota anima in me est*. Sacius Saul dixisse, fertur, & Virgilius lib. 11. Æn. v. 533.

. . . . . . *Quamquam in media jam morte teneret*.

Sed longe elegantior Lactantii nostri phrasis est, ad significandos pessimos illos effectus quos relinquere in ægrotis solent hujusmodi animi deliquia, a quibus homines correpti primum quidem mortuis simillimi videntur, pallent, stupent, rigent. Si vero igne, aut ferro revocentur, interdum etiam rationis, plerumque memoriæ usum, eos ita amisisse cognoscimus, ut rationalis animæ in eis vix leve aliquod appareat vestigium.

d *Demens enim factus est*. Idem testatur S. Jo. Chrisost. in Oratione S. Babylæ Martyris, & M.

certis horis insaniret, certis resipisceret [e].

& M. Constantinus in Oratione ad SS. Cœtum cap. xxv. ubi ait: *Diocletianus quoque quum post cruentam cædem in persecutione factam, ipse contra se quodammodo propter vitium amentiæ, & delirationis suffragium tulisset, se unius abjectæ & humilis mantionis, munitionis, ac præsidio concredens, pœnas dedit.*

e *Resipisceret*. In Ms. *resipiscare .... tur resipiscere videretur*: ex Anony.

CAPUT XVIII.

1. NEc multis post diebus Cæsar advenit [a], non ut patri gratularetur [b]: sed ut eum cogeret imperio cedere [c]. Jam conflixerat nuper (CUM) Maximiano sene [d], eumque terruerat injecto armorum civilium metu.

a *Cæsar advenit*. Nempe Maximianus Galerius.

b *Non ut Patri gratularetur*. Socer non raro Pater appellatur, ideoque quum Diocletianus *Galerium sibi generum* asciviflet, ut cap. ıx. vidimus, heic pater ejus vocatur.

c *Imperio cedere*. In Ms. *Imperium cedere* ex Nourrio

d *Jam conflixerat nuper Maximiano Sene*. Lege: *nuper cum Maximiano Sene*. Scilicet Herculio, qui in Italia imperabat.

2. Aggressus est ergo Diocletianum [a], primum molliter, & amice: jam senem esse di-

a *Aggressus est ergo Diocletianum*. Hæc nisi a domestico scire non potuissemus, quamvis Aurelius Victor de Cæsar. cap. XL. id tamquam commentum traduxerit, ubi de spontanea Diocletiani abdicatione loquens, quasi is clades civilium bellorum timeret, seu, ut Constantinus in Oratione superius lauda-

dicens [b], jam minus validum, & administrandæ reipublicæ inhabilem, debere illum requiescere post labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat [c], qui Imperium Trajano tradidisset.

laudata ait: fulminis ictu se periturum timeret, subdit: *Et quamquam aliis alia æstimantibus, veri gratia corrupta sit, nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse*. Ejus tamen conjecturam, Diologum, quod Lactantius refert, Diocletianum inter, & Galerium, penitus evertit. Vide heic Toinardum.

b *Jam Senem esse dicens*. Eutropius lib. IX. *Quum... ingravescente ævo, parum se idoneum Diocletianus moderando Imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, & stationes tuendæ Reipublicæ viridioribus, junioribusque mandarent* &c.

c *Exemptum Nervæ proferebat*. XIV. Kal. Octob. An. ab V. Con. DCCCXLIV. Quum Trajanus Germaniæ præesset Imperator Nerva Sexagenario major, & jam impar, ut solus imperium regeret, Capitolium ascendit, & eandem coronam, quam eidem Trajanus e Pannonia miserat, in gremio Jovis Capitolini, populo nihil tale expectante, deponens ait: *quod felix, faustumque Senatui, Populoque Romano, mihique sit, M. Ulpium Trajanum adopto*: unde Plinius Trajano dixit in Panegyr. num. LX. *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & concors Tribunitiæ Potestatis, & omnia pariter, & statim factus est*.

3. Ille vero ajebat ei [a], indecens esse [b], si, post tantam sublimis fastigii claritatem [c], in

a *Ille vero ajebat*. Diocletianus non ut amens, sed ut sapiens, sibique prospiciens bene respondit: primum quidem:

b *Ei indecens esse*. Plurimi heic legere mallent: *& indecens esse* &c. Quam copulam ex Ms. se restituisse ait Langlet. tacentibus Baluzio, Nourrio, atque Anonymo.

c *Post tantam sublimis fastigii claritatem*. Lact. lib. VII. cap. 26.

humilis vitæ tenebras dedicisset; & minus tutum [d], quod in tam longo Imperio multorum sibi odia quæsisset [e].

cap. 26. ad M. Constantinum ait: *Te Providentia summa divinitatis ad Fastigium principale provexit*. Vide supra ad cap. IV.

d *Minus tutum*. Secundam addit excusationis caussam, & quidem quæ illum acrius urgebat ad metuendum.

e *Quæsivisse*. Scilicet *acquisivisse*: ut diximus ad cap. I. lib. IV. cap. I. lib. V. cap. I. lib. VII. cap. 14.

4. Nerva vero [a] uno anno Imperante, quum pondus, & curam tantarum rerum vel ætate, vel insolentia ferre non quiret [b], abjecisse gubernaculum reipublicæ [c], atque ad

de Mort. Pers. H pri-

a *Nerva vero*. Sunt qui ob Syntaxin legendum putent: *Nervum .... imperantem*: & quidem optime.

b *Non quiret*. In Ms. ex Anonym. *quereret* tribus punctis superpositis.

c *Abjecisse gubernaculum Reipublicæ*. Lact. sic locutus est lib. I. cap. I. *gubernaculum Reipublicæ .... teneas*. Hinc colligas velim non solius Galerii commentum fuisse, Nervam Imperium abdicasse, sed id confirmavit Diocletianus, qui profecto non ita respondisset si res aliter se haberet. Adde Aurel. Vict. de Cæsar. cap. XII. *Mense sexto, ac decimo semet eo* (scilicet Imperio) *abdicavit*. Non me latet, Eutropium lib. IX. sui Breviar. dixisse: Diocletianum unicum fuisse, qui *post conditum Romanum Imperium ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum, civilitatemque remearet*. Sed hæc optime a Bauldrio conciliantur; nam Nerva etsi Imperium abdicasset, & ipsius curam abjecisset, Trajani vero moderatione, atque jussu factum est, ut vitæ privatæ quidem commoda sentiret, honore tamen Imperatori debito numquam privaretur. At Diocletianus neque honorem, neque Imperatoris, aut Diocletiani nomen Lactantio teste, retinuit; sed abdicato Imperio, exu-

privatam vitam rediisse, in qua consenuerat. Verum si nomen Imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quo minus [d] omnes AUGUSTI nuncuparentur [e].

exutus purpura, & iterum Diocles factus, inter olera consenuit, & privatus periit, ut infra visuri sumus.

d *Quo minus*. In Ms. *qui minus*: ex Anonym.

e *Omnes Augusti nuncuparentur*. Heic exemplum Trajani, & Nervæ regerere in Galerium potuisset Diocletianus, si id verum fuisset; non enim vero simile videtur is adeo rudis, atque ignarus rerum Imperialium fuisse, ut etiam post annum vigesimum supremæ dignitatis id ignorasset, quod a suis antecessoribus actum fuerat.

5. At ille [a], qui orbem totum jam spe inhiaverat [b], quum inde sibi [c], aut nihil præter nomen, aut non multum [d] videbat accedere; respondit, debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari [e], ut duo sint in repu-

a *At ille*: Scilicet *Galerius*.

b *Jam spe inhiaverat*. Sic Baluzius edidit, quamvis in Ms. legatur: *ipse invenerat*: legendum putavit Gale *jam spe inhiaverat*. Columbus; *spe invaserat*. Bauldrius *jam spe invenerat*.

c *Quum inde sibi*. Secunda ex his vocibus addidit Baluzius.

d *Aut nihil præter nomen, aut non multum*. Sic legimus una cum Tollio Allixio, & Bunem., sed Al. cum Vossio, ex Colomesio: *aut nihil*, aut præter nomen *haud multum*: Gale: *nihil præter nomen*, & *tumultum*. Bauldr. *aut haud multum*: Heum. delet primum *aut*.

e *Debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari*. Pro voce *dispositionem*. Vide quæ diximus ad lib. II. cap. 16. ad lib. III. cap. VII., & X. Respicit heic Galerius ad Imperii Romani divisionem, quam in quatuor partes primus omnium fecerat Diocletianus.

publica majores [f], qui summam [g] rerum teneant; item duo minores [h], qui sint adjumento. Inter duos [i] facile posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo.

f *Duo sint in Republica Majores*. Nempe *Imperatores Augusti*.

g *Qui summam*. In Ms. *qui summa*: ex Anonym.

h *Duo minores*. Scilicet *Cæsares*.

i *Inter duos* &c. Rarum, immo fortasse unicum exemplum est illud Diocletiani, & Herculii, quo, quamvis in Imperio pares, concordiam tamen diu inter se servarunt. Ideo vetus proverbium est: *Nec geminum in Cælo Solem, nec duo in una sede Reges*. Vide Lact. lib. I. cap. 3. Galerius tamen non ad sententiæ veritatem, sed unice ad Diocletiani, & Herculii abdicationem respiciebat, sciens quid ipse postea esset cum collega acturus.

6. Si ipse cedere noluisset [a], se sibi consulturum, ne amplius minor, & extremus esset [b]. Jam fluxisse annos quindecim, quod in Illyricum vel ad ripam Danubii [c] relegatus, cum

a *Si ipse cedere noluisset*. In Ms. *si ipse credere*: En transit ad minas.

b *Ne amplius minor, & extremus esset*. Sicut inter Imperatores primus Diocletianus, secundus Herculius; sic inter Cæsares primus erat Constantius Chlorus, secundus Galerius. Vide infra cap. xx., & Eusebium lib. VIII. cap. v. H. Eccl.

c *Jam fluxisse annos quindecim in Illyricum, vel ad ripam Danubii*. Sic Baluz. edidit; sed in Ms. legitur: *id est ad ripam Danuvii*.

Legunt viri Eruditi

Jam fluxisse annos quindecim
(ex quo in Illyricum, vel)
(cum in Illyricum, vel) ad ripam Danubii
(in Illyrico, vel)
(in Illyrico, id est)
(in Illyrico cum)
(Illyrico cum)
legerem *quod in Illyricum*

cum gentibus barbaris luctaretur [d], quum alii intra laxiores, & quietiores terras delicate imperarent [e].

d *Relegatus cum gentibus barbaris luctaretur*. In Ms. *religatus ... luctaretur*: hanc vocem Al. mutant.

e *Danubii*: Ms. *Danubii*.

7. His auditis senex languidus [a], qui jam & Maximiani [b] senis litteras acceperat, scribentis quæcunque locutus fuisset [c], & didicerat augeri ab eo exercitum [d]; lacrymabundus: fiat, inquit, si hoc placet [e].

a *Senex Languidus*. Id est: *Diocletianus*.

b *Qui jam & Maximiani*. Sic in Ms. Al. *qui jam Maximiani*.

c *Scribentis quæcumque locutus fuisset*. Scilicet Herculius Diocletiano scripserat quidquid sibi dixerat Galerius, utpote qui jam cum eodem Maximiano jam paullo ante de eadam re conflixerat.

d *Augeri ab eo exercitum*. Eo processerat Galerii affrenis Imperandi cupido, ut civilibus armis illam explere moliretur, si consilio, minis, & querelis id obtinere non posset.

e *Lacrymabundus*: *fiat, inquit, si hoc placet*. Nempe quod hactenus Galerius modis omnibus suadere conatus fuerat. Tollius heic tantam se Lactantio habere fidem quantam qui minimam, vel omnino nullam, ausu prorsus temerario aliis quibusdam additis ait; pro quibus quum satis a Bauldrio castigatus sit, non est cur morer in eo confutando.

8. Supererat, ut communi consilio omnium Cæsares legerentur [a]. Quid opus est con-

a *Ut communi consilio omnium Cæsares legerentur*. Jam paullo ante Diocletianus dixerat, impedimento nihil esse, quominus

consilio, quum sit necesse, illis duobus placere [b], quidquid nos fecerimus? Ita plane: Nam illorum filios nuncupari necesse est [c].

nus omnes Augusti nuncuparentur, nempe non solum, qui hactenus sic dicti fuerant, ipse & Herculius; sed etiam Constantius Chlorus, & Galerius, qui dumtaxat Cæsares audiebant; quum ergo nunc de abdicando Imperio ageretur, id fieri deberet non solum a Diocletiano, sed etiam ab Herculio; simulque de creandis Cæsaribus, quod Imperatores novi deliberare debebant, omnis ratio postulabat, ut eorum omnium advocaretur consilium. Sed Galerius moræ impatiens inquit.

b *Quid opus est consilio, quum sit necesse illis duobus placere quidquid nos fecerimus.* Ambitione omnia metiebatur Galerius, ideoque non legem solum, sed etiam necessitatem se impositurum Imperatori, altero, alteroque Cæsari existimabat, si Diocletianus non renueret facere, quod ipse jam meditabatur. In Ms. *quod opus* ex Anonymo.

c *Ità plane. Nam illorum filios nuncupari necesse est.* Diocletianus vel non intellexit Galerii propositionem, quæ violentiam præseferebat, vel prudentia vere senili, & veterana, eam frangere molliter occupando cogitavit, dicendo, fore quidem necesse Cæsares nuncupari tam filium Herculii Maxentium, quam filium Constantii Chlori Constantinum. Ille quidem, quia pater ejus dimittebat Imperium, iste autem, quià id assumebatur a Patre. Lact. lib. I. cap. XI. sic locutus est: *Ita plane; nam* &c. & lib. II. cap. 6.

9. Erat autem Maximiano FILIUS Maxentius [a], hujus ipsius Maximiani gener [b], homo

a *Erat autem Maximiano (filius) Maxentius.* Tò *filius* uncis inclusit Baluzius, quia abest a Ms. & quidem non dubito quin ita Lactantius scripserit, quum, quæ superius a Diocletiano dicta sunt, hoc satis ostendant. Cæterum non desunt, qui putent, hunc Maxentium non genuinum fuisse Maximiani Herculii filium; sed suppositum. Id manifeste asseruit

mo perniciosæ, ac malæ mentis [c], adeo superbus, & contumax, ut neque patrem, neque socerum [d] solitus sit adorare [e]; & iccirco utrique invisus [f] fuit.

Con-

ruit Anonymus Panegyrici author Constantino M. dicti n. IV. Anonymus Valesianus confirmavit pag. 658. quum ait: *Mater ejus Syro quodam genitum esse confessa respondit*: neque obscure idem indicaverat Aurelius Victor in Epitom. cap. XL. n. 13. *Maxentium*, inquit, *suppositum ferunt arte muliebri*, (Al. mulieris) *tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi* (Al. pravissimi) *partus capti a puero*.

b *Hujus ipsius Maximiani gener*. Nempe Galerii. Baronius ad an. CCCVI. n. XXIII. nummum exhibet in quo legitur: *Imp. Maxentius Divo Maximiano Socero*: quæ inscriptio Emum Cardinalem decepit, fecitque, ut in opinione præconcepta firmaretur, ut nimirum putaret, non Maximiani Galerii, sed Maximiani Herculii Maxentium generum fuisse: quod ibidem bene advertit etiam Pagius Crit. suæ n. XVII. ubi etiam meminit de ejusdem Herculii Apotheosi a Maxentio peracta ex eo Nummo, qui a Mediobarbo cum hac inscriptione editus est.

DIVO MAXIMIANO PATRI MAXENTIUS AUG. F.

c *Homo perniciosus, ac malæ mentis*. In Ms. *ac mala male mentis* ex Anonym. De ejus pessimis moribus vide Authorem panegyrici, quem paullo superius laudavimus n. IV., & seq.

d *Neque patrem, neque socerum solitus sit adorare*. Victor in Epitom. *Is Maximianus* Intellige Maxentium, qui, ut Author laudati panegyrici ait, *nomine ipso abusiva appellatione mutilato* ex Maximiano Maxentius dictus est, ne forte confunderentur Pater, & filius, gener, & socer si eodem nomine appellarentur. *Is ergo Maximianus Maxentius carus nulli umquam fuit, ne patri, aut Socero quidem Galerio*.

e *Solitus sit adorare*. Non apud prophanos, atque Ecclesiasticos tantum, verum etiam apud Sacros Scriptores interdum verbum *adoro* usurpatum est pro *honoro*, *veneror*, proinde, ac de genu obsequium *præbeo*, quod a temporibus Domitiani,

tiani, & forte primi Neronis apud Romanos fieri cœptum est, quum ii, quemadmodum postea Diocletianus, tamquam Dii ab hominibus adorari vellent. Eutropius lib. IX. cap. 16. de Diocletiano loquens: *regiæ consuetudinis formam invexit, adorarique se jussit, quum ante eum, cuncti salutarentur*. Idem habet S. Hierony. in Chron. vide etiam Gothof. notas tom. II. Cod. Theod. pag 8., & 98. Pancirol. comm. in Notit. Dignit. cap. XI. Et Ceremonial. *de Court* &c. Ideo Lactantius Maxentio vertit vitio id Principibus non præstitisse honoris, quod illis jam de more alii præstabant; neque hinc quidquam suarum partium hominibus præsidium aliquod accessisse falso putent Eterodoxi, sed a Lactantio discant, non actionibus pure externis, ac communibus cultum metiri; sed ex interna mentis directione; nec nos sugillent, quasi quum genuflectimus ante Prælatorum, Regum, Pontificumque personas, eos de facto tamquam Deos adoremus, quum nec ipsi id optent, nec nos id umquam facere cogitemus, qui unicum adoramus Deum, & filium ejus Jesum Christum Servatorem nostrum. Veneramur tamen Angelos ministros ejus, Sanctos servos, & amicos ipsius, atque in primis Deiparam Virginem Cæli Reginam. Honoramus vero Prælatos, Principes, eosque omnes, quos vel dignitas, vel virtutis excellentia a cæteris distinguit, nec tamen cultum, aut honorem eis debitum confundimus. Vide Diss. XXXV. cap. III.

f *Utrique invisus*. Herculio nimirum, & Galerio.

10. Constantio quoque filius erat Constantinus [a], sanctissimus adolescens, & illo, fastigio dignissimus [b], qui insigni, & decoro ha-

H 4

a *Constantio quoque filius erat Constantinus*. In Ms. *Constantius quoque* &c. Ex Helena Matre in Oppido Naisso natum Constantinum Anonym. Vales. tradidit pag. m. 656., & Pagius n. IX. suæ Crit. ad an. 306. eandemque veram Constantii Chlori conjugem, ac Coelli Britanniæ Regis filiam fuisse contra Zosimum, aliosque Græcos fabularum Scriptores, ostendimus in Diss. XXXI. cap. III. §. XI.

b *Sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus*. Vide Lact. lib. I. cap. I. lib. VII. cap. 26. Tò *Sanctissimus* heic valet: *integerrimus*, uti Cicer. Philip. XIII. de

habitu corporis [c], & industria militari, & probis moribus, & comitate singulari, a militibus amaretur, a privatis & optaretur [d]. Eratque tunc præsens [e], jampridem a Diocletiano factus Tribunus ordinis primi [f].

Quid

de Octaviano Cæsare loquens *sanctissimum adolescentem*, & Vellejus lib. II cap LIII Pompejum: *virum sanctissimum* dixerunt. Nec putes egregias hasce Constantini dotes, ac virtutes, quas heic Lactantius recenset, ab eodem exaggerari, nam apud Eusebium, Eutropium, Aurelium Victorem, aliosque, omni prorsus adulationis suspicione remota, easdem reperies. Vide Anonym. in Paneg. sæpe a nobis laudato. Nota vero eum adolescentem appellari, quum trigesimum ætatis annum excessisset. Vide in Diss. XXXI. cap. III. §. XV. & infra cap. XXIV. & XXIX.

c *Decoro habitu corporis*. In Ms. *decore abitu*.

d *A privatis & optaretur*. Gale *a privatis exoptaretur*: optime.

e *Eratque tunc præsens*. Sunt qui putent Constantinum huic colloquio astitisse, auribusque percepisse Imperatoris, & Cæsaris effata; id tamen negat Nourrius, cui Bauldrius ex parte respondere videtur; sed illud Anonymi Valesiani ad Ammian. pag. 712. edit. Gronov. Bauldrio adversatur: *Severum, & Maximianum factos fuisse Cæsares Constantino nihil tale noscente*. Ingeniose quidem Bunemannus id explicat, quasi Τὸ *nihil tale noscente* intelligi debeat de ebrietate Severi. Sic enim Anonymi verba recitat. *Galerius annos imperavit XVIII. Severus Cæsar ignobilis, & moribus & Natalibus, Ebrius, & ob hoc* (ebrietatem maxime) *Galerio amicus. Hunc ergo, & Maximinum Galerius Cæsares fecit. Constantino nihil tale noscente*. Sed longe nimis petita hæc mihi videtur expositio; ideoque in ea sum sententia, ut Constantinus præsens quidem fuerit, Nicomediæ scilicet, & si vis, etiam in Palatio, & prope Imperatoris cubiculum; non autem ubi hæc dicebantur, ut infra demonstrare gestio. Placeret etiam Baluzii lectio illa, qua pro *Constantino*, legit: *Constantio nihil tale noscente*: Si Codicis alicujus testimonium accederet.

f *Jam pridem a Diocletiano factus Tribunus ordinis primi*. Nourrius, tamquam ex Ms. signat: *a Daciano*; sed falsum est,

est, testibus oculatis Anonymo, & Langletio. Sub signis quindeni ordines collocabantur a Romanis, & unusquisqueOrdo tres partes habebat: scilicet Triarios spectatæ virtutis veteranos: Rorarios minus roboris ætate, factisque minores: Accensos minimæ fiduciæ at Hastatorum ordo primus pugnam inire debebat, & huic præfuisse Constantinũ etiam numismata ostendunt, in quibus effigies ejus apparet cum hasta humero innixa.

11. Quid ergo fiet [a]? Ille, inquit [b], dignus non est. Qui enim me privatus contempsit, quid faciet, quum imperium acceperit? Hic vero [c] & amabilis est, & ita imperaturus, ut patre suo melior, & clementior judicetur; Ita fiet, ut ego non possim facere, quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu.

Quos

a *Quid ergo fiet?* Hec verba tribuuntur Diocletiano ab iis, qui hocce Dialogum distingunt loquentium nominibus. Mihi tamen ejusdem Lactantii videntur. Solent enim historici sic plerumque loqui antequam rem inopinatam describant.

b *Ille, inquit*, scilicet Galerius de Maxentio, rationem reddens quare dignus Cæsarea dignitate non esset; quia nimirum, si privatus adhuc Galerium Socerum, Cæsaremque contempserat, accepto imperio verendum erat, ne pejora esset acturus.

c *Hic vero*. Intellige Constantinum, quem Diocletianum digito demonstrasse, quum hæc dicebat, putat Bauldrius; sed, mea quidem sententia, adhuc heic loquitur Galerius, qui ut Maxentium simul, & Constantinum a Cæsarea dignitate excluderet, *Ille* inquiebat *dignus non est*, quia me contempsit. *Hic vero* diligetur a militibus; *ideoque fiet, ut ego non possim facere quæ velim*. Et concludit; *eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu*. Hactenus Galerius.

12. Quos ergo faciemus [a]: Severum, inquit [b]. Illumne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox [c] pro die, & dies pro nocte? Dignus, inquit [d], quoniam militibus fideliter præbuit [e]: & eum misi ad Maximianum [f], ut ab eo induatur.

Esto.

a *Quos ergo faciemus?* Exclusis Maxentio, quem Imperatoris Herculii filium superius appellaverat, & Constantino, qui filius erat Constantii Chlori, tunc Cæsaris, & mox Imperatoris futuri, jure interrogat Diocletianus: *quos ergo Cæsares faciemus?*

b *Severum, inquit.* Sic respondit Galerius, hominem laudans Illyricorum ut ait Aurelius Victor, indigenam, & secundum Anonym. Valesianum, qui *erat ignobilis; & moribus, & natalibus, ebriosus, & ob hoc Galerio Amicus.*

c *Illum ne Saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox* &c. Sic vere mirabundus Diocletianus interrogat Galerium, quum minime expectaret sibi hujusmodi Cæsarem proponi nuncupandum.

d *Dignus inquit.* Reponit Galerius, & rationem reddens dignitatis tribuendæ, subdit.

e *Quoniam militibus fideliter præbuit.* Non stipendia, annonam militarem, & quicquid Militibus dabatur *Præbendæ* nomine significatum; ut ait Cuperus; sed salem, & ligna, quæ a Parochis præberi debebant, utpote qui ab his præbendis dicti erant. Horat. lib. I. Serm. Satyr. v. ℣. 46.

Proxima Campano ponti, quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi, quæ debent, ligna salemque

Ii dicebantur etiam *Præbitores* unde Philippus Macedo apud Cicer. lib. II. Offic. *An tu id agis, ut Macedones non se Regem suum, sed ministrum, & Præbitorem putent?* Alexandro filio dixisse fertur. Et Gellius loquens de Ventidio Basso, qui, etsi ignobili genere in Piceno natus, consul tamen a Senatu Romano salutatus de Parthis, quos non nisi Regem vincere posse, traditum erat, primus omnium triumphavit, lib. xv cap. 4. ait: *Triumphante Pompeio Strabone, eum quoque puerum inter cæteros ante currum Imperatoris, sinu matris vectum esse: post quum adolevisset victum sibi ægre quæsivisse: eumque sordide invenisse comparandis mulis, & vehiculis magistratibus, qui sortiti Provincias* fo-

forent, præbenda publice conduxisse: Quæ dicta sint, ut respondeam Nourrio interroganti cap. XIII. art. 1. dist. 1. *Ubi quæso hoc verbum præbuit ita solum invenies?* Nonnulli legunt *præfuit*.

f *Eum misi ad Maximianum*: Scilicet Herculium Imperatorem. Nota heic Galerii audaciam,

13. Esto. Altrum, quem dabis [a]? Hunc, inquit [b], ostendens Dajam adolescentem quemdam semibarbarum, quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine [c]. Jam & ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat, ominis caussa [d], quia Maximianus fidem summa religione præstabat.

a *Esto. Alterum quem dabis?* Impotens Diocletianus iterum interrogat.

b *Hunc, inquit*; nempe Galerius: *ostendens Dajam, adolescentem quemdam semibarbarum*: Victor. in Epitom. *Galerius Maximinus sorore Armentarii progenitus, veroque nomine ante Imperium Daza dictus*. Bauldrius legeret: *semi barbatum*, repugnante Nourrio.

c *Quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine*: Nempe Galerius, volens cum eo id agere, quod secum egerat Diocletianus, qui Maximiani nomen ei dedit, quum antea Armentarius diceretur. In Ms. *Maximianum* pro *Maximinum* legitur.

d *Ominis caussa*. Jamdiu Eruditi correxerunt: *ominis caussa*; nam Maximianus Herculius, cujus nomen Armentario dedit Diocletianus, eum semper summa fide coluit, ut statim Noster subdit.

14. Quis est hic, quem mihi offers [a]? Meus

a *Quis est hic, quem mihi offers?* Si quum Galerius absentem Severum nominaverat mirabundus Diocletianus respondit; heic subiratum eum mihi videre videor, atque hominem hunc novum nunquam vidisse, aut novisse, modus iste loquendi de-

Meus, inquit, affinis[b]. At ille gemebundus[c]: Non, inquit, eos homines[d] mihi das, quibus tutela Reipublicæ committi possit. Probavi eos, inquit. Tu videris[e], qui regimen imperii suscepturus es. Ego satis laboravi, & providi, quemadmodum me imperante Respublica staret incolumis. Si quid accesserit adversi[f], mea culpa non erit.

CAP.

demonstrat; Ideoque corruit Bauldrii argumentum, quo probare nititur, Constantinum, & Maximinum præsentes fuisse huic colloquio, ex eo quod Galerius hunc adolescentem statim produxerit; nam si res ita se habuisset, quam quæso subitæ hujus Diocletianeæ admirationis caussam Bauldrius reddet? Si autem a me quæras: quomodo ergo si præsens non erat, tam præsto comparuit? Respondeo in Palatio secum illum duxerat Galerius, & forte prope cubiculum colloquii eum ex condicto ita locaverat, ut accitus, statim adstaret. Qui infidas Principum Aulas sagacibus lustrant oculis norunt quid dicam, quidque taceam.

b *Meus, inquit, Affinis*: Concisa satis, & imperiosa Galerii responsio; immo & falsa; nam consanguineus, & agnatus erat ei adolescens Daja; cui Galerius erat avunculus.

c *At ille gemebundus*. Nimirum Diocletianus.

d *Non, inquit, eos homines*. In Ms. *non ideos*, quam vocem Nourrius, Anonym., & Langlet explicant: *idoneos* & bene. Infra cap. XLIV. *idoneos duces*. In toto autem hoc Dialogo Tò *inquit* numquam hactenus de Diocletiano dicitur.

e *Tu videris*. Formula est male ominantis. Cicer. Philip. v. *quid concupiscas tu videris*. Idem ad Brutum II. *sed de hoc tu videris*. Et alibi sæpe.

f *Si quid accesserit adversi*. Gale potius legeret *acciderit*; sed male, Cicero pro Quintio: *Illud quoque nobis accedit incommodum* &c. Sæpissime.

CAPUT XIX.

1. QUum hæc essent constituta, proceditur Kalendis Majis [a]. Constantinum omnes intuebantur [b]. Nulla erat dubitatio [c]. Milites, qui aderant, & priores militum [d] electi, & acciti ex Legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant.

a *Proceditur Kalendis Majis*. Vide Tabul. Chron. Diss. XXII. ca. II. § VII. eadem die apud Mediolanum purpuram ex condicto deposuit Herculius, eaque Severum induit ut infra cap XXVI.

b *Constantinum omnes intuebantur*. Sparso in vulgus rumore, ea die Cæsares creatum iri, omnes quotquot erant in comitatu, vel ex aliqua spectabant parte, juvenem, cunctis carum, intuebantur, ut contingere in similibus actionibus ubique solet.

c *Nulla erat dubitatio*. Nullus quippe, qui Constantinum noverat filium Cæsaris, Imperatoribus, saltem ut videbatur, unice dilectum, nec certe meritis imparibus, dubitare poterat, quin ipse unus ex Cæsaribus esset futurus.

d *Priores militum*. Alii mallent. *Primores* sicuti cap. XXI.

2. Erat locus altus extra civitatem [a] ad millia fere tria, in cujus summo Maximianus ipse [b] purpuram sumpserat; & ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eo pergitur. Con-

a *Extra Civitatem*. Scilicet Nicomediam, nemine refragante.

b *Maximianus ipse*. Pronomen additum manifeste indicat heic loqui de Maximiano Galerio, ut bene intellexerunt Baluzius, Bauldrius, aliique post eum, non autem Herculium, ut putarunt Nourrius, Pagius, Norisius, & nonnulli eos secuti.

3. Concio militum convocatur, in qua senex cum lacrymis alloquitur milites [a]: se invalidum esse, requiem post labores petere [b]: Imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare. Summa omnium exspectatio, quid adferret.

Tunc

---

a *In qua* in Ms. *inquit Senex cum lacrymis, alloquitur milites*. Sed mendum heic cubare omnes notarum Scriptores animadvertunt, & varie tentant hisce modis:

convocatur
(in qua Senex cum lacrymis alloquitur)
(Recipit senex cum lacrymis. Alloquitur)
(Consurgit senex cum lacrymis. Alloquitur) milites
(Senex cum lacrymis alloquitur)
(Inquietus senex alloquitur)
(Infra senex &c.)

Posset legi: *Concio militum convocetur, inquit senex. Alloquitur* &c.

b *Se invalidum esse, requiem post labores petere* &c. Baluzius hinc ortam sine dubio putat communem opinionem, Diocletianum semet volentem, & spontaneum Imperio exuisse, sive ob senium, & infirmam valetudinem; sive ob vanitatem, & mentis alienationem. Veram tamen hujus abdicationis caussam heic aperuisse Lactantium. Unum mihi superest intelligendum. Nimirum, qua ratione potuerit Constantinus cap. xxv. Orat. ad SS. Coetum dicere, Diocletianum id fecisse ob mentis alienationem; nam quæ ab Imperatore in Colloquio cum Galerio, & in hac concione dixit præsentente Constantino, non mentis; sed potius animi infirmitatem ostendunt. Præcesserat quidem in Diocletiano quædam mentis motio, sed ex verbis ejus nil tale eruitur. Colloquium, cum Galerio habitum, fuerat, ut supra diximus, Constantino ignotum, sed non ignotum Lactantio, qui Constantini erat familiaris. Concedamus Lactantium Constantino arcanum colloquium non revelasse; at libellus iste jam vulgatus erat quum Constantinus orationem illam lucubravit. Dicam quid nunc sentio, sententiam meam hanc aliquando fortasse retractaturum. Totum id quod hac in re egit Diocletianus, a mentis vitio processisse putavit Constantinus; si enim Diocletianus sana mente perpendisset, vix

vix à Galerio quicquam moliri posse, viventibus adhuc Herculio in Imperio Collega, & Constantio Cæsare, eodemque Constantino præsente, numquam victus formidine, adeò turpiter fuisset, ut & se, & collegam Imperio abdicare voluisset, & tam ineptos Cæsares nuncupasset. Erui hæc posse arbitror, ex verbis ejusdem Constantini a me recitatis in extrema annotatione ad cap.XVII. nimirum: *ipse contra se quodammodò propter vitium amentiæ, & delirationis suffragium tulisset*. Preme Tò *suffragium*, & quid sibi velit secundum proprietatem sermonis expende, & statim videbis, Constantinum non ignorasse colloquium illud, de quo Lactantius hactenus mentionem fecit; & quidem clarius apparebit, si etiam Tò *quodammodo* intime penetraveris, quatenus heic totam propositionem emollit, eamque non plane deliberatam, atque spontaneam actionem fuisse indicat.

4. Tunc repente pronunciat Severum, & Maximinum Cæsares [a]. Obstupefiunt omnes in tribunali. Constantinus adstabat sursum [b]. Sciscitari inter se, num Constantini [c] immu-

a *Et Maximinum Cæsares*. In Ms. *& Maximianum* scilicet Dajam illum, de quo supra, & mox. Diversas opiniones Scriptorum de hac Cæsarum nuncupatione heic breviter, ut locus postulat, recensere minime possum, nec debeo quum jam id præstiterim in Diss.XXII. cap.II.§.VII.in Tabul. Chron.

b *Obstupefiunt omnes in Tribunali. Constantinus astabat sursum*. Sic Baluzius, & alii ex Ms. ediderunt; sed cum eodem non omnes sic distingunt: *Obstupefiunt omnes. In Tribunali Constantinus astabat sursum* non *susum*; quamvis enim antiqui *susum* pro *sursum* dixerint, Lactantius tamen ab his dicendi formulis abhorruit. Non credas vero, ut sibi falso persuaserat Bauldrius, hanc vocem delendam, seu esse in aliam mutandam, ea ratione, *quoniam si alterutrum legeretur, adstitisset ergo Constantinus in superiore parte Tribunalis*. Nam *astabat sursum*, nihil aliud significat quod inter milites, Imperatoris, & Cæsaris latus de more protegentes, ipse eminebat utpote qui erat non solum Tribunus ordinis primi, verum etiam

immutatum nomen esset [d] ? quum in conspectu omnium Maximianus, manum retrorsum extendens, protraxit a tergo Dajam, Constantino repulso; & exutum veste privata [e], constituit in medium [f].

etiam statura procerus, ut eum describit Euseb lib. I. de vita ipsius cap. XIV.

c *Suscitari inter se, num Constantini immutatum nomen esset?* in Ms. *stare* legitur pro *sciscitari*. Et in Margine per speciem emendationis, sed eadem manu scriptum esse dicitur, *haesitare* Grævius, & Tollius hanc Codicis emendationem cæteris præferunt Bauldrius vero componit *susum stare*, & legit *susurrare*, quod certe non displicet. Vero quidem simile est in hujusmodi eventu adstantes summissa voce quæritasse: *num Constantino nomen immutatum est?* Addit Anonym. forte legendum esse *Constantinus astabat. Tum hæsitare inter se.*

d *Num Constantini immutatum nomen esset.* in Ms. ex Anonym. *num Constantinum immutatum nomen esse.*

e *Et exutum veste privata*: *exuto*, ediderat primum Baluzius; sed novis curis emendavit *exutum veste privata*. Al. *vestem privatam*. Vide quæ de hoc loquend. modo diximus lib. IV. cap. XIV. seg. 8.

f *Constituit in medium*. Potius *in medio* legendum esse putat Bauldrius.

5. Mirari omnes, qui esset? unde esset? Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatæ novitate rei turbatis [a]. Huic purpuram Diocletianus injecit suam [b], qua se exuit, & Diocles iterum factus est [c].

Tum

a *Cunctis insperatæ novitate rei turbatis*. In Ms. *inspiratæ novitatem rei* ex Nourrio *inspiratæ novitate rei* ex Langletio.

b *Huic purpuram Diocletianus injecit suam*. Hinc colligunt quidam, eandem fuisse Cæsarum, atque Imperatorum vestem ex purpureo colore, nec ob-

obsto; dico tamen hac actione duo ostendere Diocletianum voluisse; scilicet & se Imperio abdicare, & Dajam vestire Cæsarem.

c *Et Diocles iterum factus est*. Scilicet vitam privatam agere cœpit antiquo Dioclis nomine reassumpto.

6. Tum descenditur; & rheda per civitatem [a] veteranus rex foras exportatur, in patriamque dimittitur: Daja vero sublatus nuper a pecoribus, & silvis [b], statim Scutarius [c], continuo Protector [d], mox Tribunus, postridie Cæsar [e], accepit Orientem calcandum,

a *Per Civitatem*. Extra Civitatem Nicomediensem hæc acta fuisse vidimus; ut ergo cunctis innotesceret per Civitatem, in quam omnes redierant, iterum foras exporatus est *Rex veteranus*, scilicet Diocletianus, qui per viginti, & amplius annos regnaverat, ut in tabul. Chron. demonstravi Diss. XXII. ca. II. quasi veteranorum militum instar, privilegia inde consequi mereretur.

b *Sublatus nuper a pecoribus, & Silvis*. Nepos enim Armentarii erat, ut superius vidimus.

c *Statim Scutarius*. Non militem gregarium vox ista significat, ut Interpretes Gallus, & Anglus scripsere, sed heic Armigerulum, Scutigerulum, & regii Scuti custodem, ut bene Baluzius, qui Valesium laudat in notis ad Ammian. Marcell. dignitas tamen hæc nova erat tunc in Romana militia. Vide infra cap. XXVIII.

d *Continuo Protector*. Officium fere idem; nam ex Glossa Basilic. *Primoscutarii, defensores* ii dicti sunt, qui postea *Protectores* ex eo, quod latus Imperatoris scuto protegerent. Vide Valesium ubi supra; nec facile putes errasse eos, qui dixerunt sub Gordiano juniore institutam esse hanc militarem dignitatem, quia Spartianus in Caracalla dixit, eum in Scapham descendisse cum *Protectoribus*; nam ibidem Protectores omnes ii milites erant, qui in custodiam Principis eligebantur; heic autem de eo dicitur qui proxime Imperatorem scuto protegit, eique arma ministrat. Vide infra cap. XXVIII.

dum *f*, & conterendum, quippe qui neque militiam, neque Rempublicam sciret, jam non pecorum; sed militum pastor *g*.

e *Mox Tribunus, postridie Cæsar*. Gradus scilicet militares enumeravit, per quos boni Principes ad Imperii fastigium pervenire soliti erant. Fragmentum Valesianum pag. 471. *Constantius, D. Claudii optimi Principis nepos ex fratre, Protector primum, exin Tribunus, postea Præses Dalmatiarum fuit*.

f *Accepit Orientem calcandum* &c. Videntur hæc Tollio, quasi invidiæ concitandæ caussa, posita; sed melius Bauldrio visa sunt ad Ciceron. referanda Philip. II. 2. ubi ait: *In eodem vero Tribunatu, quum Cæsar in Hispaniam proficiscens, huic conculcandam Italiam tradidisset*.

g *Non pecorum, sed militum Pastor*. Nempe Dux a Duco.

CAPUT XX.

1. MAximianus, postquam senibus expulsis, quod voluit, & fecit *a*; se jam solum totius orbis dominum esse ferebat *b*. Nam Constantium, quamvis priorem nominari *c* esset necesse, contemnebat, quod & na-

a *Quod voluit, & fecit*. Plurimi legunt: *quod voluit, effecit*. Lactantius enim lib. VI. cap. 14. *non efficiant, quod velint*, & cap. XV. *non efficiunt quod volunt*.

b *Esse ferebat*. In Ms. *esse ferebatur*. Lang. *rebatur*. Forte legendum est: *esse ferebatur*: Columb. delet Tò *esse*, & relinquit *ferebat*; nam Vellejus lib. I. cap. XI. ait: *qui se Philippum ferebat*: & Tacit. lib. I. Ann. cap. II. *Consulem se ferens*: sed in hisce duobus exemplis Tò *esse* subintelligitur.

c *Quamvis priorem nominari*. Spartianus in Ælio Vero, Vopiscus in Carino, & in Actis S. Procopii Martyris Galerius Constantio præponitur; At in fastis Idatianis, apud Zo-si-

& natura mitis esset [d], & valitudine corporis impeditus [e].

ſimum, Eutropium, Aurelium Victor. de Cesarib., & in Epitom., & quod majus eſt in omnibus inſcriptionibus publicis apud Gruterum, in Laterculis Vindebonen., & Bucherianis, in Proſperi Chron. Conſtantius anteponitur Galerio, ſicut apud Sponium in Miſcell. p. xcix. hoc, vel ſimili modo;

D. M. D. I.
D. D. N. N. CONSTANTIO
ET MAXIMIANO NOBB.
CÆSS. CONS S. XVIII.
CAL. MAII.

Et clariſſime Euſeb. in Vita Conſt. cap xviii. de eo ait: Primus Auguſtus, & Imperator renunciatus eſt.

d *Natura mitis eſſet*. Pomponius Læti in Comp. Rom. Hiſt. de eo loquens ait: *Tanta modeſtia fuit, ut facilem, & amabilem ſe cunctis præberet.* Quod facile eruit ex Eutropio lib. x. qui illum hoc dignat elogio: *Vir egregius, & præſtantiſſime civilitatis* &c.

e *Valitudine corporis impeditus*. Tunc fortaſſe; nam prius adeo validus, & potens æſtimatus eſt, ut Diocletiano, & Herculio, poſtquam inter ſe deliberaſſent, quemnam in toto Imperio gerendorum bellorum, undequaque jamjam imminentium, ſocium adſciſcerent, Conſtantius ad id omnium maxime viſus eſt idoneus, & ante eos ſub Carino tanta cum laude Dalmatiæ præfuit, ut de eo ſibi ſubrogando in Imperio, teſte Vopiſco, cogitaverit Imperator, natura ferox, & animo impatiens. In Ms. *valitudine* de qua voce vide Dauſquium in Orthograph.

2. Hunc ſperabat brevi obiturum, & ſi non obiſſet [a], vel invitum exuere [b], facile

 vide-

a *Et ſi non obiſſet*. In Ms. *& ſi non noviſſet*: ex Anonymo, & Langletio.

b *Vel invitum exure*. Scilicet purpura, & Imperio, ut Diocletianum eis ſpoliaverat. In

videbatur. Quid enim faceret, si a tribus [c] cogeretur imperium deponere?

In Ms. teste Langletio Tò *vel* ita scriptum est, ut *etiam* quoque ab notis illis possit significari; ex Langletio.

c *A tribus*. Scilicet Galerio Imperatore, & collega, a Severo, & Maximino Cæsaribus.

3. Habebat ipse Licinium veteris contubernii amicum [a], & a prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda [b] utebatur. Sed eum Cæsarem facere noluit, ne filium nominaret [c]; sed postea in Constantii [d] locum nuncuparet Augustum, atque fratrem.

a *Licinium veteris contubernii amicum*. Et hic ex Dacia oriundus erat *parentibus agricolis*, ut ait Pomponius Lætus. & a pueritia rei militari addictus, notusque Galerio, quum militaret adversus Narseum in Perside, ut tradit Zosim. lib.II. hist. pag.674. Vide etiam Eutrop. lib. x. Brev. Socrat. lib.I hist. Eccl. cap.II. Anony. Valesf. pag.659. Aurel. Vict. in Epitom.

b *Ad omnia regenda*. Bauldrio placeret vicina vox: *gerenda*.

c *Ne filium nominaret*. Bene Baluzius phrasim explicavit; nam Cæsares, etsi re vera non essent natura, aut adoptione, tamen Imperatorum Augustorum filii dicebantur. Ne ergo filium Licinium vocaret Galerius, Cæsarem non designavit, quum vellet eum mortuo, aut exuto Constantio, Augustum, & Fratrem nuncupare.

d *In Constantii*. In Ms. *Constanti* ex Anonym.

4. Tunc vero ipse principatum teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ, Vicennalia celebraret [a]; ac substituto

a *Vicennalia celebraret*. Baluzii expositionem non ample-

to Cæsare filio suo [b], qui tunc erat novennis, & ipse deponeret; ita quum Imperii summam teneret Licinius, ac Severus; & secundum Cæsarum nomen Maximinus, & Candidianus, inexpugnabili muro [c] circumseptus, securam, & tranquillam degeret senectutem.

plector, quum mos non esset Romanis antequam annum Imperii vigesimum explevissent, celebrandi Vicennalia quod ostendimus suo loco, & ibidem annos Galerii in Tabul. Chronol. consignamus.

b *Ac substituto Cæsare filio suo*. Ex Valeria Diocletiani filia, prolem non susceperat Galerius; sed filium ei a Concubina genitum, ob sterilitatem uxor ejus adoptaverat, uti idem Lactantius infra cap. L. narrat. Hunc ergo, quem Candidianum mox appellat, Cæsarem nnncupare tunc statuerat Galerius, quando, mortuo, vel exuto Constantio, & Vicennalibus suis celebratis, se Imperio abdicaret, Severum, & Licinium Augustos faceret, & confirmato Maximino Cæsare, eidem collegam daret Candidianum. In Ms. *hac substituto* ex Anonym.

c *Inexpugnabili muro*: Sic Lactantius lib. IV. cap. XXVII.

5. Hoc consilia ejus ostendebant [a]. Sed DEUS, quem sibi fecit infestum, cuncta cogitata dissolvit.

I 3 CAP.

a *Hoc consilia eis ostendebant*. In Ms. *hoc consilio eis* ex Nour. Bauldrius legit: *Huc consilia ejus tendebant* ex Grævio. Quam Lectionem retinere possumus donec constet, locum non esse mutilum, ut suspicor. Puta si legendum foret: *hoc consilio eis* vel *ei*, scilicet Licinio, *spem ostendebat*.

CAPUT XXI.

1. ADeptus igitur maximam potestatem [a], ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat [b], animum intendit.

a *Maximam Potestatem.* Cave credas Tribuniciam fuisse; hanc enim jam sibi dum adhuc esset Cæsar usurpaverat Galerius, ut apparet ex Fastis Capitolinis apud Panvinium. Significat ergo *Potestatem summam*: scilicet Augustæam.

b *Quem sibi patefecerat.* Bauldrius mallet, *quem ipsi*, scilicet *orbi patefecerat*, laudando nimirum ubique Persarum mores, patefecerat se Romanum orbem ritu Persarum Regum velle pro libito suo vexare.

2. Nam post devictos Persas, quorum hic ritus, hic mos est, ut regibus suis in servitium se addicant [a], & reges populo suo, tanquam familia utantur [b]; hunc morem nefarius homo in Romanam terram [c] voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ sine pudore laudabat.

Et

a *in servitium se addicant.* Id est: in servitutem Lact. Epitom. cap. LII. *Tradet in servitium Gentes* &c.

b *Tanquam familia utantur.* Jam supra diximus, familiam dupplicem fuisse, servilem nimirum, & sanguinis vinculo copulatam. Heic de servili sermo est; nam ut inquit Sardi *de moribus, ac ritibus Gentium* lib. II. cap. XI. *ad Regiæ januam Optimates stant, ut eorum opera, ad quæ voluerit Rex, uti possit.* Vide etiam Brissonium de hac Persarum consuetudine: In Ms. pro *familia* ex Nourrio, & Langletio legitur *milia*: prima Syllaba deleta.

c *In Romanam Terram. In Ms. habetur in Romanam̄ ēnā.*

3. Et quia id aperte jubere non poterat, sic agebat [a], ut & ipse libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo, non Decuriones modo [b], sed primores etiam civitatum, Egregii, ac Perfectissimi viri [c]. Et quidem in caussis levibus, atque civilibus [d]. Si morte digni viderentur, cruces stabant: sin minus, compedes parati [e].

a *Sic agebat*. Gale an potius: *satagebat?* quod reprobat Bauldrius, nam Nostro *agere* idem est ac *facere* E. g. cap. IX. *Exinde insolentissime agere coepit*.

b *Torquebantur ab eo non Decuriones modo*. Tamquam honor dignitati debitus erat immunitas a tortura, ideoque Romanis legibus cautum fuerat, ne Decuriones, qui in Curiis Coloniarum, & Municipiorum, tamquam Romanos Senatores se gerebant, a Provinciarum Rectoribus torqueri possent; sed solum in carcerem trudi, ibidemque detineri donec Principes de his judicarent. Patet hoc ex Epist. Constantini ad Probianum Africae Proconsulem: quamvis postea idem Imperator legem tulerit, qua declarabat etiam eos in crimine falsi torturae subjiciendos esse. Vide Baron. ad an. CCCXIV. n. XXXII. ex lib. *Si quis Decurio C. ad leg. Cornel. de falso*: & Pitiscum in Lexic.

c *Sed Primores Civitatum, egregii, & Perfectissimi*. In Ms. *Civitatum*, & apposito signo supra ultimam Syllabam ex Langlet. lib. IV. cap. XVI. *Primores Judeorum*. De titulis vero, de queis heic Author mentionem facit vide ad lib. I. Cod. Theod. notas Gothof., & adde quae diximus ad lib. V. Inst. Divin. cap. XIV.

d *Et quidem in caussis levibus, atque civilibus*. Punctum, quod copulam praecedit, transferendum est post Tò civilibus, ut sensus sit, quod in caussis levibus ii, quos heic nominat Author, torquerentur; in gravioribus autem morte turpissima poenas darent.

e *Compedes parati*. Hunc dicendi modum quem Cellarius improbat, quum *compedes* masculini generis non sint; sed faeminini; ex Vvouveren. ad Petron. pag. 172. V. 4. defendi posse, quidam arbitrati sunt auctoritate S. Cypriani: *compedes aureos* dicentis; sed bene Bu-

nem.

onem. advertit, nil tale apud Cyprianum reperiri; sed solummodo in vulgata nostra S.Scripturar. versione Thren. cap.III. ℣ vii. ubi legitur: *aggravavit compedem meum*. In indice Cypriani Edit. Monach. SS.Mauri cum notis Baluzianis: *Compedes aurei* pag.360. sed male, nam S.Martyr. loco ibidem indicato scilicet *de habitu Virg.* cap.16. habet: *a compedibus aureis*: quæ dictio utrique generi competit. Restituendum ergo: *Compedes paratæ*.

4. Matresfamilias, ingenuæ, ac nobiles, in gynæceum rapiebantur [a]. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali [b] quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus [c] distendi solebat. Quid

a *In Ginaceum rapiebantur*. Scilicet in locum ubi mulieres operibus suis exercebantur. Puta Textrinum aliquod publicum, qualem a du-Cangio io Glossario describitur. Cicero Philip.II. num.95. *Syngrapha ....-facta in Gynaceo: quo in loco plurima res venjere, & veneunt*, Scilicet: *vendita sunt, & venduntur*. In Ms. *in Genuave* ... ex Langletio, ex Anon. *Geniceum*.

b *Defixi in stabulo pali*. Gale mallet *in sabulo*. Al. catastam intelligunt, seu instrumentum ad torquendos homines, cujus icon subiicitur ex Gallonio pag.123.



c *Ad quos nullus servus*. Sunt qui legendum putent: *ad quos nullus unquam nisi servus*.

5. Quid lusorium, vel delicias ejus referam [a]? Habebat ursos ferociæ, ac magnitudinis suæ simillimos [b], quos toto Imperii sui tempore elegerat [c]. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat [d].

His

---

a *Lusorium, vel delicias ejus referam?* Bene heic Tollius notat Lusorium non esse amphitheatrum, in quo ferarum pugnæ edebantur, sed locus in palatio, vel prope illud animi voluptatibus destinatus. Salvianus lib. VI. de Gubern. Dei. *Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet, Odæis, Lusoriis, Pompis, Athletis* &c.

b *Habebat Ursos ferociæ, ac magnitudinis suæ simillimos*. In Ms. *ferocia*, unde quidam legunt: *ferociâ, & magnitudine* cap. IX. de Galerio dixerat: *erat etiam* (ei) *corpus moribus congruum* &c. Ammianus Marcellinus lib. XXIX. de Valentiniano loquens ait: *quum duas haberet Ursas Sævas, hominum ambestrices, Micam auream, & Innocentiam, cura agebat enixa, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret, custodesque adderet fidos, visuros sollicite, ne quo casu ferarum rumperetur luctificus calor.*

c *Toto Imperii sui tempore elegerat*. Al. *alverat*; sed nihil mutandum puto; nam quum hujusmodi Bestiis delectaretur, ex omnibus, quas habere potuerat, eas delegisse videtur Galerius, quæ sibi magis placuissent.

d *Horum aliquem afferri nominatim jubebat*. Ea quæ superius de Valentiniano diximus hæc apte illustrare possunt, quum ille fortasse a Galerio id facere didicisset; nempe nomina impore hisce belluis, atque in caveas servare, custodibus adhibitis, qui eas quoque circumferrent, quo ab Imperatore jubebantur. Non enim hoc novum ita est, ut necesse sit legere *adduci* potius quam *afferri*; Tatianus de Alexandro Magno in Oration. ad Græcos ait: *Tamquam Ursum, aut Pantheram inclusam circumferebatur*: & nos hujusmodi animalia caveis inclusa circumferri sæpe vidimus, præsertim a Polonis, & Saxonibus, qui ea vel saltare, vel quædam edere deridicula docent modici quidem, sed frequentissimi quæstus caussa; sicuti in hac nostra vicinia, prope Thermas Dio-

Diocletianeas fecisse novimus quemdam Batavum, qui Rhinocerotem fœminam, plaustro in Caveæ modum inclusam, hac attulit vilique pretio curiosis ostendebat. Sic nuper Leonem, & Tigrim, quæ heic mortua est.

6. His homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur [a]: quorum artus, quum dissiparentur [b], videbat suavissime; nec unquam sine humano cruore cœnabat [c].

a *Non plane comedendi sed obsorbendi obiectabantur*. Et hos quidem non solos Christianos fuisse, nec solos Ethnicos facile mihi persuadeo; quamvis e nostris potius, quam e suis eos collegisse Galerius longe sit vero similius. Eusebius certe lib. VIII. cap. VII de SS. Martyribus hoc modo in persecutione Diocletianea coronatis luculenter testatur, & S. Gregorius Papa lib. III. Dialog. cap II. ex historia S. Cerbonii Episcopi Populoniensis narrat, *Episcopus in medium deductus est, atque ad ejus mortem immanissimus Ursus exquisitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, sævi Regis animum satiaret. Dimissus itaque Ursus ex cavea est: qui accensus, & concitus Episcopum petiit, sed subito suæ ferocitatis oblitus, deflexa cervice, submissoque humiliter capite, Lambere Episcopi pedes cœpit* &c. Editio Aboensis exhibet *absorbendi*, pro *obsorbendi*; sed temere, nam ut bene observat Cellarius: *obsorbeo*: latinum est Plauto, & Virgilio usitatum, & heic proprie significat sanguinis humani inter vorandum sorbitionem, Ursis, ut ajunt gratissimam. Vide Euseb. lib v. cap. I hist. Ecc., & Cuperum heic, qui etiam exhibet modum, quo in ponte quodam ligneo Martyres Bestiis exponebantur.

b *Quorum artus quum dissiparentur*. Lact. lib. v. cap. XI. *non tantum artus hominum dissipat*. Vide etiam cap. LXVI. Epitom.

c *Nec unquam sine humano cruore coenabat*. Vide infra ad Symposium cap. XI.

7. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit [a]; & exilii primo adversus Christianos per-

permiserat: datis legibus, ut post tormenta, damnati lentis ignibus urerentur.

a *Poena ignis fuit, & exilii primo adversus Christianos permiserat* &c. locum hunc certe depravatum, sic restituere tentarunt viri eruditi:

(& exilii primo adversus Christianos permissa)
(& exemplum primo adversus Christianos permiserat)
(& illam primo &c. . . . .)
(ex illis primo &c. . . . .)
(id exitit primo &c. . . . .)
(& exilii primo &c. . . . .)
(& hæc ille primo &c. . . . .)

8. Qui quum deligati fuissent [a], subdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solorum [b] contractum igni ab ossibus revelleretur.

a *Qui quum deligati fuissent*. In Ms. *delegati*.
b *Donec callum solorum*. Cicer. lib. v. Tuscul. Quæst. ait: *Mihi amictus est Scythicum segmen.; calceamentum, Solorum Callum; Cubile, Terra*. Solum enim inferior pedis pars est, quæ callum facile contrahit.

9. Deinde incensæ faces, & extinctæ admovebantur [a] singulis membris, ita ut locus nul-

a *Incensæ faces, & extinctæ admovebantur* &c. Sæpe in actis Sanctorum Martyrum de hoc tormenti genere mentio fit, quamvis interdum faces, aliquando Lampades, seu Tedæ aut Funalia vocentur, quæ non solum ardentes admovebantur corporibus, sed etiam extinctæ ad hoc, ut vel fœtido, crassoque fumo molestiam afferrent, vel quia, utpote acuminatæ, & acutæ, quemadmodum eas describit Virgilius I. Georg. ℣. 292.

. . . . *Ferroque faces inspicat acuto*.

acrius torquerent, & intime membra exurerent, quod idem Poe-

nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne, arescentibus siccitate faucibus, cito spiritus redderetur [b].

Poeta de more elegantissime expressit lib. VII. ✠. 457. æn.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tedas.
Hujus Martyrii figuram exhibet Gallonius pag. 147.
b *Cito spiritus redderetur.* Lact. lib. V. cap. XI. *Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur .... Illi autem pertinaci stultitia jubent, curam Tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad poenam.*

10. Quod postremo accidebat [a], quum per multum diem [b], decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur.

a *Postremo accidebat.* In Ms. *accedebat* ex Anonym. & Langletio.
b *Quem per multum diem.* Nonnulli legunt: *tum per* &c.

11. Corpore jam cremato, lecta ossa [a], & in pulverem comminuta, jactabantur in flumina, ac mare [b].

CAP.

a *Corpora jam cremata, lecta ossa.* Sic in Ms. At legas: *corpore jam cremato* &c. ex Grævio. Tollius addit vocem *ubi*, vel *postquam*.
b *Jactabantur in flumina, ac more.* Al. *mari.* Al. *flumine* Lact. lib. V. cap. XI. *Non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit ne quis extet sepulturæ locus.*

CAPUT XXII.

1. QUæ igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat.

2. Nulla pœna penes eum levis [a]. Non insulæ [b], non carceres, non metalla; sed ignis, crux, feræ in illo [c] erant quotidiana, & facilia [d]. Domestici, & administratores lancea emendabantur.

a *Nulla pœna penes eum levis*. In Ms. *nulla pœnis eum levis*. Bauldrius legit commodiori emendatione: *Nulla è pœnis eorum levis*: sive etiam *eum* pro *eorum*. Ruinartus in præfat. ad acta Mart. sincera pro *levis* habet *lenis*. Bunem. *Nulla è pœnis tum levis*.

b *Non Insulæ* &c. in Ms. *Non in sole non in carceris, non metalla, sed ignis crux Ferae in illa erant cotidiano, & facilia*. Ex Anonym.

c *In illo*. Bauldrius mallet: *in illos*: scilicet Christianos.

d *Administratores lancea emendabantur*. Qui res domesticas Imperatoris, vel etiam res publicas administrabant, lancea emendabantur, non quia putem eos lanceæ ferro transfixos; sed potius verberatos, nam *emendare* hoc potius, quam illud significat, quum idem sit ac *corrigere*. Quamvis negari non possit, plurimos S. Martyres lanceis confossos palmam meruisse. Vide Gallonium cap. xi. pag. 189.

3. In caussa capitis, animadversio gladii admodum paucis quasi beneficium [b] deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem [c], Jam

a *In causa capitis animadversio gladii* &c. In Ms. *In contra pœna capitis & animadversi a gladii*.

b *Quasi beneficii loco*. Ultimam hanc vocem addidit Baluzius, ubi alii legunt; *quasi beneficium deferebatur*. Al. *pro beneficio*.

c *Impetraverant bonam mortem*. In Ms. *bona morte*: Vide infra cap. xxvi. *nihil aliud impetravit nisi bonam mortem*.

4. Jam illa his levia [a] fuerunt [b]: eloquentia exstincta [c], causidici sublati, jureconsulti aut relegati, aut necati [d]. Litteræ autem inter malas artes habitæ, & qui eas noverant, pro inimicis, hostibusque protriti, & execrati [e].

a *Jam illa his levia*. Boherellus legit: *Jam illa hic*. Gale *Jam illa præ his*: Lact. l.vi.cap.xxiii. *Hæc tamen apud illos levia, & quasi honesta*.

b *Fuerant*. Bauldrius legit *fuerunt* & Tò *his* ab eo deletur. Langletius *Jam illa huic* scilicet Galerio.

c *Eloquentia extincta* &c. En tempus extremæ Lactantii nostri paupertatis, de qua Eusebius in Chronico, unde eum Nicomedia, & e Bithinia quo a Diocletiano ad docendum accitus fuerat, emigrasse conjicimus. Vide Diss. vii. cap. II. §. 14.

d *Causidici sublati, Jureconsulti aut relegati, aut necati*. Ii ab illis jure distinguuntur, aliud enim est causam in foro dicere, aliud est pro jure respondere. Vide ad lib.v.cap.I.

e *Execrati*. Passive usurpatum.

5. Licentia rerum omnium solutis legibus assumpta, & judicibus data. Judices militares, humanitatis, & litterarum [a] rudes, sine assessoribus in provincias immissi [b].

CAP.

a *Humanitatis, & literarum*. Lege sic ex Anonym *humanitatis literarum*.

b *Sine Adcessoribus in Provincias immissi*. Iis, qui ad Provincias regendas mittebantur, addi mos erat jurisperitos, ne provincialibus temere ab eis, qui legalibus disciplinis operam non dederant jus diceretur ut a Forner. lib. iv. Rer. Quot. cap. x. traditur. At hæc Galerio imperante sublata sunt, sed postmodum restituta. Vide Gothofr. ad Tom. I. Cod. Theod. pag. 86. Cujacium paralit. cap. de annon. & capit. administr. Gravina de Ortu, & progres. Jur. Civ. cap. cxxvi. Sueton. in Tib. & in Claud. qui Magistratibus aliquando assiderunt.

CAPUT XXIII.

1. AT vero illud publicæ calamitatis, & communis luctus [a] omnium fuit, [b] censſus in provincias, & civitates ſemel miſſus [c]; cenſitoribus ubique diffuſis [d], & omnia exagitantibus, hoſtilis tumultus, & captivitatis horrendæ ſpecies erant.

Agri

a *Publicæ calamitatis, & communis luctus*. Locus ſane notandus, & Principibus ſæpe inculcandus. Populi quippe vitam potius periculis omnibus, jubente eo, exponere parati ſunt, quam nimio cenſu gravari. Docent hoc omnium temporum, omnium gentium hiſtoriæ, & quæ in eis narrantur tragædiæ, ac Parricidia.

b *Omnium fuit*. Bauldrius: *initium fuit*.

c *Semel miſſus*. Idem: *ſimul miſſus*. Nourrius: *irrevocabiliter miſſus*.

d *Cenſitoribus ubique diffuſis*: Cenſores & cenſitores idem prorſus ſignificant, & bini quolibet luſtro conſtituebantur, quorum munus a Cicerone lib. III. de legibus hiſce verbis declaratur. *Cenſores, Populi ævitates, ſcboles, familias, pecuniaſque cenſento; urbis Templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento. Populique partes in Tribus diſtribuunto. Exin pecunias, ævitateis, ordineis partiunto; equitum, peditumve prolem deſcribunt: Cœlibes eſſe prohibento: Mores populi regunto; probrum in Senatu ne relinquunto, bini ſunto: magiſtratum quinquennum habento*. Hos Ulpianus in *L. Forma §. illam æquitatem ff.* de Cenſib. & *Pomponius in L. ergo §. alluvio ff. de Acquir. rerum Dom. Cenſitores* appellant. Sub Auguſto deſierunt Cenſores creari e privatorum numero, ut in ejus vita tradit Svetonius, & Dio. lib. LIV. Deinde vero Principes ſuo nomine facultates civium deſcribi juſſerunt, idque ſæpe acerbe, & impotenter. Sub Decio munus hocce exercuit ille idem Valerianus, qui poſtea Imperator, captus a Sapore Perſarum Rege, ludibrio eſt habitus de quo cap. V. egimus. Vide Trebellium in vita ejus, & infra ad cap. XXVI.

2. Agri glebatim [a] metiebantur, vites, & arbores [b] numerabantur, animalia omnis generis scribebantur [c], hominum capita notabantur; in Civitatibus urbanæ, ac rusticæ plebes adunatæ [d]; fora omnia gregibus familiarum referta [e]; unusquisque cum liberis, cum servis aderant: tormenta, ac verbera personabant [f], filii adversus parentes

a *Agri glebatim metiebantur*. Bauldrius legendum putat: *glebati*, seu *glebatici*, aut *glebatitii* ad significandum agros omnes factos esse *glebaticos*, seu *glebatitios*. Nam usus invaluerat ante Galerium, ut ultro Senatores in ærarium aliquod pro suo libito inferrent. Vide infra cap. XXVI. sub ipso vero pro cujusque fundi quantitate omnes ex quocumque ordine essent, solvere cogebantur veteri sublata immunitate. Illud enim *gleba Senatoria*, & *aurum glebale* dictum fuisse, quia non canonis, seu indictionis; sed quodam oblationis genere pendebatur, ostendi partim ex utroque juris codice, partim ex Symmachi, & Synesii Epistolis; cui tamen contradicit Nourrius, qui Τὸ *glebatim* exponit, *secundum cujusque glebam, & portionem*. Almelov. *de gleba ad glebam*. Intellige *de limite in limitem*.

b *Metiebantur*. Passive usurpatum etiam a Q. Curtio lib. v. cap. I. Stipendium *mensum est*. In Ms. *mitiebantur* ex Anon.

b *Vites & arbores* &c. Non nova quidem ista sub Galerio fuere, ut patet ex Ulpiano lib. 50. ff. tit. XV. §. 4., sed post diutinam intermissionem revocata, & taliter executioni demandata, ut nulla sive ætati, sive dignitati, sive locis, quæ ex eodem Ulpiano ibidem § 11. non erant obnoxia tributo, immunitas a censu permitteretur.

d *Hominum capita notabantur, in Civitatibus urbanæ, ac rusticæ plebes adunatæ* &c. Alii ita distingunt. *Hominum capita notabantur in Civitatibus*: *Urbanæ, ac rusticæ plebes adunatæ* &c. Hanc capitationem Constantinus M. lege lata sustulit lib. II. de Cens. in Cod. Theod. tom. v. pag. 115. Vide Gothofr. ibidem. Lact. cap. XVII. de Opif. Dei. *bis* . . . *adunatis*. Pro *adunatæ* Gale emendat *adæquatæ*.

e *Fora omnia gregibus familiarum referta*; Ms. *Foras omnia* &c.

tes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra Dominos vexabantur, uxores adversus maritos.

f *Tormenta, ac verbera personabant*. Iis enim, ut noster mox subdit, subdebantur filii adversus parentes, servi adversus Dominus, uxores adversus maritos, ut bona omnia indicarent censui obnoxia, nec aliquod occultum remaneret, quod ab eo esset exemptum.

3. Si omnia defecerant [a], ipsi contra se torquebantur: & quum dolor vicerat, adscribebantur, quæ non habebantur [b].

a *Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur*. Scilicet si nec filii, nec servi, neque uxor alicui essent, vel, si quum essent, nihil ab eis erui tormentis potuerat, tunc Patresfamilias, Domini, & Viri torquebantur, ut ipsi de suis fortunis rationem redderent exactissimam.

b *Adscribebantur, quæ non habebantur*. Dolore victi dicebant se habere, quæ de facto non possidebant, & sic etiam illi in tabulas censuales referebantur. Al. *quæ non fatebantur*.

4. Nulla ætatis, valetudinis excusatio [a]. Ægri, & debiles deferebantur [b], æstimabantur ætates singulorum [c], parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur. Luctu, & mœstitia plena omnia.

a *Nulla ætatis, valetudinis excusatio*. Adde *nulla valetudinis* &c. ut cap.XVI. *nullus hostis expugnet, nullus laqueus induat*. Al. *valitudinis*: ut cap.XX.

b *Deferebantur*. Puta sellis, rhedis, vehiculis, & similibus quibuscumque gestatoriis.

c *Aestimabantur ætates singulorum*. Scilicet non ut revera annos uniuscujusque digno-

gnoscerent; sed ut censui singuli subjicerentur, nam parvulis, adiciebantur, Senibus detrahebantur anni, ad hoc, ut etiam illi, qui secundum leges erant exempti a tributo, illud pendere cogerentur. Vide Ulpianum ubi supra §. 2.

5. Quæ victores adversus victos [a] jure belli fecerant, & ille adversus Romanos, Romanisque subjectos [b], facere ausus est; quia parentes ejus censui subjugati fuerant, quem Trajanus Dacis assidue rebellantibus, pœnæ gratia victor imposuit [c].

a *Quæ victores adversus victos.* In Ms. *quæ veteres*: ex Noutrio, & Langletio.

b *Et ille adversus Romanos, Romanisque subjectos.* In Ms. *& ille .... subjectis*: ex Anonym.: & Nourrio.

c *Quem Trajanus Dacis, assidue rebellantibus pœnæ gratia victor imposuit.* In Ms. *Daciis.* Gens quæcumque in Provinciæ formam redacta a Romanis Fisco erat vectigalis; si autem rebellari eam contingeret, tunc pœna multabatur iterum subacta. Quum ergo Trajanus Imperator, victis, compressisque duplici expeditione Dacis, e quibus oriundus erat Galerius, eos tributarios fecerit; quod ille in eos jure belli egit, hic agere voluit in omnes Romani Imperii subditos, etiamsi Cives, aut Socii, Municipes, aut Coloni fuissent quocumque privilegio munitos.

6. Post hoc [a] pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur [b]. Non

a *Post hoc.* Al. *post hac.*

b *Merces pro vita dabatur.* Bauldrius legendum jubet: *dabantur* Τὸ enim *merces* vox pluralis est illi, non singularis, & sensum reddit: Tanta erat capitatio, ut quidquid pecuniæ habebant, pro capitibus penderent, ut ad victum necessaria comparanda, merces suas dare, seu commutare cogerentur: ex illo Terentii in Phorm. Act.II. Sc.II. 16.

Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat,

Nout-

Non tamen iisdem [c] censitoribus fides habebatur: sed alii super alios [d] mittebantur, tanquam plura inventuri: & duplicabatur semper [e], illis non invenientibus, sed, ut libuit addentibus; ne frustra missi viderentur.

Nourrius vero Ms. lectionem tuetur exponens, pecuniam capitationis mercedem fuisse, quæ pro vita tuenda seu conservanda dabatur Principi, ne illam simul cum bonis omnibus vi auferret.

c *Non tamen iisdem*. Al. *hisdem*. Al. *bisdem* vide infra cap. XXXI., XXXIV., & XLVIII.

d *Sed alii super alios*. Nourrius pag. 138. primæ editionis suæ diss. ait: *Num quis ullus similem, & tam obscurum scribendi modum in genuinis Lactantii libris hactenus annotavit?* Sed bene illi respondet Bunem. ostendens ex Livio phrasim hanc frustra habitam esse pro suspecta.

e *Et duplicabatur semper* &c. Bauldrius sic distinguenda, & interpungenda hæc putat: *Et duplicabatur semper, illis non invenientibus, sed, ut libuit, addentibus; ne frustra missi viderentur*. Quod probo, & amplector.

7. Interea [a] minuebantur animalia, & mortales obibant [b]; & nihil minus [c] solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam, nec mori saltem gratis liceret. Mendici supererant soli, a quibus nihil exigi posset, quos ab omni genere [d] injuriæ tutos miseria, & infelicitas fecerat.

 Atquin

a *Interea*. In Ms. *Inter ea* ex Anonym.

b *Et mortales obibant*. Lact. lib. VII. cap. 14. *Mortales quosdam* cap. XV. *opera mortalium*.

c *Et nihil minus*. Al. *nihilominus*.

d *Quos ab omni genere injuriæ tutos*. Baluzius edidit: in

injuritatis de novitate vocabuli miratus; sed non ita in Ms.Cod. in quo Nourrius, Anon. & Langlet.distincte legerunt: *injuria ætatis*, & a quibusdam interpretatum est: *injuria temporum*; sed optime a Nourrio restituta lectio: *ab omni genere injuriæ tutos*. Lact. in Epitom. cap.LIX. *se tutos ab injuriis facerent*.

8. Atquin homo pius [a] misertus est illis. Ut non egerent [b] congregari omnes jussit, & exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem [c], qui providerit, ne quis, illo imperante, miser esset!

a *Atquin homo impius*. Sic sæpe *Atquin* in Cod. Bon. Tollius legit ironice: *Atquin homo pius*.

b *Misertus est illis, ut non egerent*. Heinsius. *Miseratus est illos*. Heum.: *At quam pius in miseros illos*: Sed utrique casui Lactantii temporibus verbum *misereor* bene junctum sæpe occurrit. Vide ad cap.LXV. Epitom. Bauldrius pro *non egerent*: legit: *nihil egerent*: hoc est: *ut nulla re indigerent*. In Ms. teste Anonym sic distinguitur. *Misertus est illis. Ut non egerent congregari omnes jussit* &c. Quæ lectio omnino servanda est.

c *Adeo hominem misericordem*. Gale: *video hominem misericordem*. Bauldrius: *At o hominem immisericordem*!

9. Ita dum cavit [a], ne quis simulatione mendicitatis censum subterfugiat [b], multitudinem virorum miserorum [c], contra omne jus humanitatis [d] occidit.

CAP.

a *Dum cavit*. Al. *cavet* cum Tollio, & Columbo.

b *Subterfugiat*. Qui legunt cavit, mallent heic *subterfugeret*.

c *Multitudinem virorum miserorum*. Bauldrius: *Verorum miserorum*.

d *Contra omne jus humanitatis*. Sic Lact. lib.v.cap.XIX. & cap.XXII., & lib.VI. cap.X.

CAPUT XXIV.

1. JAm propinquavit [a] illi judicium DEI [b], ſecutumque tempus eſt, quo res ejus dilabi [c], ac fluere cœperunt.

a *Jam propinquavit*. Sic ſæpe Lactantius lib. II. cap. VIII. lib. VII. cap. XIV., & XXIV., & in Epitom. cap. LXXI. Bauldrius verbum hocce poeticum cenſet, & certe nonniſi apud Plautum, Virgilium, & Statium iſtud verbum invenio; quamvis, ut Bauldrius annotavit etiam in noſtra vulgata quinquies reperiatur. Tollius legit *propinquabat*.

b *Illi Judicium Dei*. Scilicet Galerio.

c *Res ejus dilabi*. In Ms. *delabi* ex Anonym.

2. Nondum animum intenderat ad evertendum, pellendumve Conſtantium, dum eſt occupatus [a] his rebus, quas ſuperius expoſui [b], & exſpectabat obitum ejus; ſed tam celeriter non putabat obiturum.

a *Dum eſt occupatus*. Bauldrius: *dum eſſet* &c.

b *Quas ſuperius expoſui*. Sic Lact. lib. IV. cap. XXVI.

3. Qui quum graviter laboraret [a], miſerat litteras, ut filium ſuum Conſtantinum remitteret ſibi videndum [b], quem jamdudum

a *Qui quum graviter laboraret*. Neſcimus tamen, quo morbo Cicer. lib. II. Quæſt. Tuſc. *Artus vehementer laborans*: Ubi Interpretes: *peſſime ſe habent*, exponunt.

b *Conſtantinum remitteret ſibi videndum*. Superius cap. XVIII.

dum frustra repetierat [c]. Ille vero nihil minus volebat.

XVIII. vidimus Constantinum, jam pridem a Diocletiano factum Tribunum ordinis primi, & Nicomediæ adhuc commorantem dum Cæsares novi renunciati sunt; an autem inde tandem ad Patrem reversurus discesserit, infra visuri sumus.

c *Quem jamdudum frustra repetierat*. Hæ duæ ultimæ voces additæ sunt a Baluzio, quoniam sensus sine his videbatur imperfectus: quarum tamen loco ex eodem poterant etiam ista apponi: *non viderat*. Heuman. sic corrigit: *Constantinum remitteret sibi videndum. Jamdudum vero ille nihil minus volebat*. Langletius vero hoc alio modo: *remitteret sibi videndum, & quidem jam dudum. Ille vero nihil minus volebat*.

4. Nam & insidiis sæpe juvenem adpetiverat [a], quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia, & quod maxime verebatur, odia militum concitaret [b]. Sub obten-

a *Nam & in insidiis sæpe juvenem adpetiverat*. Tò IN superfluit omnium eruditorum judicio. Eusebius in vita ejusdem lib. I. cap. XIV., & XV. idem asserit, & Anonym. Valesianus confirmat hisce verbis, etiam a Baluzio laudatis: *Hunc Galerius obiecit ante pluribus periculis. Nam & in Sarmatas juvenis equestris militans ferocem barbarum, capillis tentis raptum, ante pedes supplicem Galerii Imperatoris adduxerat. Deinde Galerio mittente per paludem, equo ingressus suo, viam cæteris fecit ad Sarmatas, ex quibus plurimis stratis, Galerio victoriam reportavit*. Apud Tristanum Nummum Constantini reperies, trophæum dextera tenentis, & sinistra opprimentis captivum cum titulo *Fundatori Pacis*.

b *Odia militum concitaret*. Noverat quippe Galerius, juvenem Constantinum, quem tamen noster superius cap. XVIII. dixerat *Sanctissimum Adolescentem*, unice diligi, ac a militibus Ducem desiderari. Infra cap. XXIX. Iterum Adolescentis vo-

tentu exercitii, ac lusus feris illum objecerat [c].

vocabulo eum designat, quem dicendi modum notandum putamus; nam idem Lactantius lib. IV. c. XV. hac eadem licentia usus est, quum Christum Dominum in adolescentia a Johanne in Jordane tinctum fuisse dixit.

c *Sub obtentu exercitii, ac lusus, feris illum objecerat.* Anonymus Valesianus, Praxagoras apud Photium Cod. LII. & Zonaras in Dioclet. hoc confirmant.

5. Sed frustra, quoniam DEI manus hominem protegebat; qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine [a]. Namque sæpius, quum jam diutius negare non posset [b], de-

a *Liberavit in ipso cardine.* In quo nimirum Chlori, patris ejus, vita vertebatur, ut paullo infra visuri sumus.

b *Namque sæpius, quum jam diutius negare non posset, dedit illi sigillum.* Nemo non videt locum hunc mutilum, ac depravatum esse. Eruditi viri hisce modis eum sanare tentarunt.

(etiamque sæpius. Quum jamdiu negare non posset, dedit illi)
(namque sæpius rogatus, quum jam diutius negare &c.)
(etiamque sæpius sollicitatus, quum &c.)
(namque sevius, quum clam diu necare non posset &c.)
(namque rogatum quum tandiu negare &c.)
. . . . quum jam denegare &c.)
(namque sæpius petita venia quum eam diutius negare &c.)
(nam quæ sæpius negaret quum diutius &c.)

Langletius vero servandam censet Ms. codicis lectionem, quæ ita se habet: *Namque sæpius quum jamdiu necare non posset dedit illi sigillum.* Duæ tamen primæ voces nec cum antecedentibus, neque cum consequentibus cohærent.

dedit illi sigillum [c] inclinante jam die, præcepitque, ut postridie mane acceptis mandatis proficisceretur; vel ipse illum occasione aliqua retentaturus [d], vel præmissurus litteras, ut a Severo teneretur [e].

c *Dedit illi sigillum*: Id est, secundam Baluzium, Epistolam dimissoriam, sigillo Imperiali munitam. Vide Glossarium; quamvis Nourrius eo nomine facilius significari putet diploma Imperiale ad cursum publicum peragendum, de quo vide in Cod. Theod. lib. IV. de *Cursu publ.* &c.

d *Occasione aliqua retentaturus*. Gale legit *retenturus*. Sed nihil immutandum, nam *retento* frequentativum est, & *sæpe retinere*, & *morari* significat, ut bene heic pluribus exemplis ostendit Bauldrius.

e *Ut a Severo teneretur*. Tollius: *retineretur*. Hoc innuere videtur Anonym Marcellini. Pag. 471. ubi ait: *CONSTANTINUS, ut Severum per Italiam transiens vitaret, summa festinatione veredis post se truncatis, Alpes transgressus ad Patrem Constantium venit apud Bononiam*.

6. Quæ quum ille prospiceret, quiescente jam Imperatore post cœnam, properavit exire; sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis, evolavit [a].

Po-

a *Evolavit*. Heum. legit: *avolavit*. At Roma ne, an Nicomedia? Dissident Historici. Victor in Epit. de eo loquens ait: *Hic quum juvenculus a Galerio in urbe Roma Religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, atque ad frustrandos insequentes, publica jumenta, quaqua iter ageret, interfecit, & ad patrem in Brittaniam pervenit*. Ego vero cum Baluzio, omnino censendum puto, Nicomedia Constan-

ſtantinum, ad patrem iturum diſceſſiſſe, nam haſtenus apud Imperatorem Galerium eum fuiſſe, vidimus, nec eſt, qui id neget; quum ergo infra cap. XXVII; viſuri ſimus, ante mortem Severi, Galerium ne Romam quidem vidiſſe, clarum remanet, Conſtantinum, qui a latere ejus clam diſceſſit, Roma evolare non potuiſſe. Vide A. Vict. *de Caeſar.* cap. XL.

7. Poſtridie Imperator quum conſulto ad medium diem uſque dormiſſet [a], vocari eum jubet. Dicitur ei poſt cœnam ſtatim profectus. Indignari, ac fremere cœpit. Poſcebat equos publicos, ut eum retrahi faceret.

a *Conſulto ad medium diem uſque dormiſſet* non *conſueto*, ut putavit Heinſius; ſimulavit enim ad multum diem, ſe dormire Galerius, ut tandiu Conſtantinum retineret, cui pridie facultatem fecerat diſcedendi poſtridie; poſtquam tamen eidem mandata dediſſet; quamdiu illis retardatis, nec fortaſſe ſine dolo aliquo jam paratis, id adimpleſſet, quod in eum erat moliturus.

8. Nudatus ei curſus publicus nunciatur [a]. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate uſus, pervenit ad patrem jam deficientem [b], qui ei militibus commendato, Im-

a *Nudatus ei curſus publicus nunciatur*: Equos enim per manſiones multas, in quibus ii curſui publico, ut mos eſt, ſerviebant, Conſtantinus provide mutilaverat, quod erat eventurum ratus. Sic Zoſim., & Victor in Epitom. Caſaub. autem ad Spartianum plurima de curſu publico, & fiſcali congeſſit.

b *Pervenit ad Patrem jam deficientem*. Aurelius Victor de Caſarib. *In Brittanniam pervenit .... & forte iiſdem diebus ibidem Conſtantium Patrem vitæ ultima agebant*. An *agebantur*? in Epitom. *perurgebant*

Imperium per manus tradidit [c]; atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit [d].

bant. Eusebius de Vita Constant. lib.I. cap.xv. *Eodem momento patris Constantii vitæ exitus in acie novaculæ, ut dicitur, constitit. Postquam autem filium ex insperato adesse vidit, exiliens e cubili illum complexus est* &c.

c *Imperium per manus tradidit.* Lact. lib.II. cap.4. seg.20. *regnum per manus filio tradi dit.* At Eutropius lib.x. Brev. Aurelius vict. tam in Epit. quam de Cæsar. Zosim. lib.II. hist.; & Anonym. Valesf. pag. 657. dicunt, mortuo Constantio, Constantinum a Prætorianis, cunctisque adnitentibus creatum fuisse Imperatorem, quod quamvis repugnare videatur iis, quæ a nostro narrata sunt, & ab Eusebio confirmata, conciliantur tamen ab apostata Juliano in Orat. I. ad Constantium Constantini filium, in qua asserit, illum adeptum esse Imperii dignitatem non solum patris sui authoritate; sed etiam omnium exercituum plenissimis suffragiis. Cui eleganter adstipulatur Eumenius in Paneg. Constantini §. VII. & VIII. In Ms. *qui eis militibus commendato Imperio*: ex Anonym.

d *Requiem vitæ, sicut optaverat accepit.* Ubi, & quando vide in Tabul. chron. Diss. XXII. cap. II. §. VIII.

9. Suscepto Imperio Constantinus Augustus nihil egit prius, quam Christianos cultui, ac DEO suo reddere [a]. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restitutæ [b].

CAP.

a *Christianus cultui, ac Deo suo reddere.* Nam ut cap. XV. vidimus, sub Constantio a motæ persecutionis Diocletianeæ tempore, non omnino licitum fuit Christianis sacris suis operam dare. Vide Lact. lib. I. cap. I. extr.

b *Sanctæ religionis restitutæ.* Al. *S. religioni sua restituta* vel *Templa restituta*. Al. *Sanctio*, vel *functio S. religionis restituta*. In Ms. ex Langlet legitur *restitutæ* Baluzius secundis curis legendum putat: *restitutio*.

CAPUT XXV.

1. PAucis post diebus laureata imago ejus [a] allata est ad malam bestiam [b].

a *Laureata imago ejus*. Scilicet Constantini. Herodianus lib. v. prope medium, Interprete Politiano sic de Antonino locutus est. *Imaginem propriam maximis lineamentis, quia ipse obire Sacerdotis munia videbatur, simulque figuram Numinis, cujus Sacerdotium gerebat, depictam in Tabula præmisit Romam, jussis, qui eam ferrent, in media curia loco adito supra victoriæ caput collocare, ut quum Senatus haberetur, thura unusquisque adoleret, merumque libaret*. Nil tale Constantinus; sed de more misit Imperatoribus suam Imaginem, ut ipsi de ea id, quod mallent, statuerent, ut ex Eumenii Panegyrico eruitur §. VIII. *Universus in Te consensit exercitus .... & quamquam Tu ad Seniores Principes de Summa Reipublicæ, quid fieri placeret retulisses, prævenerunt tamen studio quod illi mox judicio probaverunt*. De alia Constantini adolescentis imagine, in Palatio Aquilejensi ad convivii aspectum posita, ubi puella illi galeam offert, vide incerti Panegy. num. VI. & infra ad cap. XXVII.

b *Ad malam Bestiam*. Scilicet ad Galerium.

2. Deliberavit diu, an susciperet. In eo pene res fuit [a], ut illam, & ipsum, qui attulerat [b], exureret; nisi eum amici ab illo furore flexissent [c], admonentes eum periculi; quod

a *In eo pene res fuit*. In Ms. *In eo pœno Rex fuit* ex Anonym.

b *Ut illam, & ipsum qui attulerat*. Idem Anonym. mallet: *ut & illam, & ipsum*.

c *Nisi eum amici ab illo furore flexissent*. Tollius mallet, *deflexissent*; Sed nihil omnino mutandum; nam nihil apud Ciceronem frequentius, quam animum *flectere*. Amici autem Galerii ii fuisse videntur, qui erant ei a consiliis.

quod universi milites, quibus invitis, ignoti Cæsares erant facti [d], suscepturi Constantinum fuissent [e], atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus [f];

d *Ignoti Cæsares erant facti*: Scilicet Severus, & Maximinus.

e *Suscepturi Constantinum fuissent*. Sic optime Baluzius restituit; nam in Ms *suscepturum Constantinum fuissent*.

f *Atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus*. In Ms. *ad eum concursus alacritate summa evenisset armatus*. Ex Nourrio; ex Anonym. vero *invenisset* & ex Langletio: *si invenisset*. En ex eodem Codice tres variantes lectiones obortæ, inter quas hærere, necesse est.

3 Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit [a], ut ultro adscivisse illum in societatem videretur.

a *Atque ipsi purpuram misit*. Nempe Galerius Constantino; nam ut Lact. ait lib. IV. cap. VII. *Indumentum purpuræ insigne est Regiæ majestatis assumptæ*.

4. Jam turbatæ rationes ejus fuerant [a]; nec poterat alterum extra numerum nuncupare [b], ut voluerat.

a *Jam turbatæ rationes ejus fuerant*. In Ms. *turba rationes*. Vide superius cap. XX.

b *Nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat*. Jam superius cap. XVIII. audivimus ex eodem Galerio, Diocletiani edictum servari debere, ut duo sint in Republica Imperatores, duosque Cæsares. Novimus Cap. XX. Galerium loco Constantii collegam in Imperio assumere decrevisse Licinium, & celebratis vicennalibus, se Imperio abdicare, renunciando Augustum Licinium, & Severum: Cæsares vero Maximinum, & Candidianum:

Hæc

Hæc omnia turbata sunt electione Constantini; nam quemcumque elegisset interea ex iis, sive Cæsarem, sive Augustum, semper fuisset extra numerum constitutum; ideoque non poterat nuncupare, quem voluerat,

5. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet; Constantinum vero, non Imperatorem, sicut erat factus: sed Cæsarem [a] cum Maximino [b] appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.

a *Non Imperatorem ut erat factus*; *sed Cæsarem* &c. Hanc ergo viam excogitavit ineundam, ut Severus, qui paullo ante creatus fuerat Cæsar, fieret Augustus; & Cæsar post Maximinum secundus esset Constantinus; quamvis is a Patre, & militibus dictus fuisset Imperator Augustus; & sic de secundo loco, quem in Imperio obtinebat, in quartum rejectus esset. Quæ quum pluribus historicis nota non fuerint in varias, longeque dispares abiere de Constantini Cæsarea, atque Augustea dignitate sententias, & quinque natales eidem tribuerunt.

b *Cum Maximino*. In Ms. *cum Maximiano*, ut cap. XIX.

CAPUT XXVI.

1. COmpositæ ei res [a] quodammodo jam videbantur [b], quum subito illi alius ter-

a *Compositæ ei res*. Scilicet quæ capite superiori turbatæ, dictæ sunt.

b *Quodammodo jam videbantur*. In Ms. *quomodo* jam &c. & forte, ut ait Nourrius legendum *quoquo modo*.

terror allatus est [c]: generum ipsius Maxentium Romæ factum Imperatorem [d].

c *Alius terror allatus est*. Sic in Ms. quamvis paullo infra scribatur: *nuntio allato*.

d *Generum ipsius Maxentium Romæ factum Imperatorem*. Ad cap. XVIII. diximus Maxentium filium, adscriptitium saltem, fuisse Maximiani Herculii, & Generum Maximiani Galerii. Is ergo, quum neque in abdicatione patris, neque post Constantii mortem in honore ullo sit habitus, *quum haud procul ab urbe in villa publica moraretur*, teste Eutropio, a Prætorianis, excitato tumultu, Imperator dictus est, & nuncupatus Augustus: quamvis Toinardus, eum solummodo Cæsarem factum fuisse, contendat.

2 Cujus motus hæc fuit caussa. Quum statuisset [a] censibus institutis orbem terræ devorare, ad hanc usque prosiliit insaniam [b], ut ab hac captivitate [c], ne Populum quidem Romanum fieri vellet immunem [d]. Ordinabantur jam censitores, qui Romam missi describerent plebem.

Eodem

a *Quum instituisset . . . orbem terræ devorare*: De Galerio loquitur, cujus insatiabilem avaritiam, & in censibus instituendis immanitatem, superius descripserat. Lactantius lib. VII. cap. XVI. *Disperdent omnia, & comminuent, & devorabunt*.

b *Ad hanc usque prosiliit insaniam*. In quibusdam editis *prosilii*, in aliis *prosilivit*. Sed nihil mutandum nam Livius lib. VIII. Belli Pun. *ex tabernaculo prosiliit* &c.

c *Ut ab hac captivitate*. Heum. corrigit: *ab hac capitatione*; sed non erat necesse sic corrigere, si meminisset, Authorem nostrum cap. XXIII. dixisse: *Censitoribus ubique a Galerio diffusis, & omnia exagitanitibus, hostilis tumultus, & captivitatis horrendæ species erat*.

d *Ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem*. Sub Regibus, atque Consulibus, tributa etiam Romani pendebant; sed quum populus per mul-

multos annos incensus fuisset, censores creati sunt ann. V. C. CCCXI. de quibus vide Varron. lib.v. *de LL.* Mansere in Republica Censores ad tempora Imperatorum; qui tamen pro libito vel censorum munera obierunt vel temperarunt a censu. Decius in Senatu egit de censore iterum deligendo, & ex S. C. Valeriano Censoris munus duobus Deciis Coss. delatum est; quod tamen ipse recusavit hisce verbis a Pollione in Valeriano relatis. *Veniam igitur ejus honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant, ut Censuram hominum natura non quaerat.* Hinc Romani non a censura morum solummodo; verum etiam ab omni tributo, nisi forte spontaneo, ex eo tempore se putabant immunes, quod privilegium eis concedere noluit amplius Galerius; sed more Provincialium, eos quoque vectigales fecit. Vide Lipsium *de Censu, & Censura.*

3. Eodem fere tempore castra quoque prætoria sustulerat[a]. Itaque milites pauci, qui Romæ in castris relicti erant, oportunitatem nacti, occisis quibusdam judicibus[b], non invito populo, qui erat concitatus[c], Maxentium purpura induerant[d]. Quo

a *Castra quoque prætoria sustulerat.* Cohors Prætoria apud Romanos duplex: altera evocatorum militum, altera nobilium adolescentulorum, qui sponte Proconsulibus, & Prætoribus aderant, ut supra diximus. Horum numerum ex Aurelio Vict. de Cæsar. cap.XXXIX. n.74. Diocletianus imminuerat, & Galerius ex parte sustulerat, vel potius, ut putat Bauldrius, *transtulerat*; ideoque pauci illi, qui Romæ in castris relicti erant, oportunitatem nacti, purpura induerunt Maxentium. Hosce deinde Prætorianos milites, teste Zosimo, Constantinus M. e medio sustulit, dirutis etiam Castellis, in quibus stationes habebant. In Ms. *oportunitate nacti.* Ex Anonymo.

b *Occisis quibusdam judicibus.* Inter quos, ut refert Zosimus fuit Abellio; *quod is Præfecti urbis locum obtinens, horum molitionibus adversari visus esset.*

c *Qui erat concitatus.* Interprete Maucroxio qui jam contra Galerium *male animatus erat.* Vel secundum versionem Anglicam, *qui erat valde irritatus.*

d *Maxentium purpura induerant.* In Ms. ex Anonym. & Langlerio *Maxentius purpuram induerat.*

4. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus est[a], nec tamen nimium, territus. Et oderat hominem[b], & tres Cæsares facere non poterat[c]. Satis visum est, semel fecisse quod noluit[d].

a *Turbatus est*. Nempe Galerius.

b *Nec tamen nimium territus. Et oderat hominem*. Aliquid heic deesse arbitror.

c *Et tres Cæsares facere non poterat*. Scilicet propter Diocletiani statutum, de quo cap. XVIII. & XXV. diximus.

d *Semel fecisse quod noluit*. Nempe quum Constantino purpuram misit invitus.

5. Severum arcessit, hortatur ad recipiendum Imperium[a], mittit eum cum exercitu Maximiani[b] ad expugnandum Maxentium[c]; & mittit Romam[d], in qua milites illi summis deliciis sæpissime excepti, non modo salvam esse illam urbem; sed ibi vivere, optarent[e].

a *Hortatur ad recipiendum Imperium*. Nondum fortasse Imperator renunciatus fuerat Severus, quamvis, ut capite superiori vidimus, in Imperio collegam suum designatus fuisset a Galerio. Vel potius, quum jam Imperator, & Augustus haberetur, eum hortatus est Galerius, ut, Imperium a Maxentio occupatum, armis recuperaret.

b *Cum exercitu Maximiani*. Scilicet Herculii, qui jam se Imperio vel invitus abdicaverat cum collega suo Diocletiano, ut vividimus cap. XIX.

c *Ad expugnandum Maxentium*. In Ms. *Maximianum* ex Anonym. & Langletio.

d *Mittit Romam*. In Ms. *Roma*: ex Anonym.

e *Ibi vivere optarent*. In Ms. *ut vivere*: ex Langletio.

6. Maxentius tanti facinoris sibi conscius[a], licet jure hæreditatis paternos milites

tes traducere ad se posset; cogitans tamen fieri posse, ut Galerius Maximianus socer idipsum metuens, Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret; quærebat quatenus [b] se a periculo impendente muniret.

---

a *Tanti facinoris sibi conscius*. Occupati, seu adepti contra Augustorum voluntatem Imperii.

b *Quærebat quatenus &c.* Scilicet, *quomodo* ut sæpe Lactantius. De Opif. Dei cap.vi. lib.I. cap.xxi. lib.iv. cap.xxvii. lib.vi. cap.vi.

7. Patri suo, post depositum Imperium in Campania moranti [a], purpuram mittit, & bis Augustum nominat: ille vero, & rerum novarum cupidus, & qui deposuerat invitus, libenter arripuit.

---

a *In Campania moranti*. Maximianus Herculius post Imperii abdicationem, secundum Zosimum, & Eutropium, secesserat in Lucaniam, quæ Campaniæ contermina est. Inde *diu retractante se*, seu, ut Schottus exponit Victoris verbum cap.XL. de Cæsaribus, *detrectante*, quum audisset Maxentium filium suum, sive verum, sive suppositum Imperatorem a Prætorianis factum *ad spem, evectus* verba Eutropii sunt lib.x. hist. Rom. *resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit a Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris amenissimis consenescens*.

b *Et bis Augustum nominat*. Toinardus exponit, *iterum* seu *denuo*.

8. Severus interim vadit, & ad muros urbis armatus accedit. Statim milites sublatis signis abeunt, & se, contra quem venerant, tradunt [a].

a *Et se contra quem venerant, tradunt*. Scilicet, milites, qui cum Severo Romam venerant ad expugnandum Maxentium, relicto Severo, sese in potestatem Maxentii sponte dediderunt. Gale *ei se* Bauld. & *se ei*.

9. Quid restabat deserto, nisi fuga? sed occurrebat jam resumpto Imperio Maximianus [a], cujus adventu Ravennam confugit [b], ibique se cum paucis militibus inclusit.

a *Resumpto Imperio Maximianus*. Nempe Herculius, cujus olim Imperio exercitus ille, qui a Severo defecerat, obtemperabat.

b *Ravennam confugit*. Anonym. Valef. pag. 572. *desertus Severus a suis fugit Ravennam* quod alii Historici tradunt.

10. Qui, quum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit sese ipse [a], vestemque purpuream [b] eidem, a quo acceperat, reddidit [c].

a *Dedit sese ipse*: Variant heic Historici. Zosimus enim narrat, Herculium, ac Maxentium novisse, Severum Ravenna ejici facile non posse, quod munita foret, & commeatu abundaret. Ideoque eidem sacramentis interpositis suasisse, ut Romam veniret, quo quum Severus tenderet, captus insidiis, necatus est. Idemque fere tradit Anonym. Valesianus.

b *Vestemque purpuream*. In editis quibusdam: *vestemque & purpuram*. Sed non ex Ms. in quo ex Anonym. legitur: *vestemque purpuream & idem*.

c *A quo acceperat reddidit*. Scilicet Herculio, ad quem Galerius, Severum, se misisse induendum, dixerat cap. XVIII. & indutum diximus cap. XIX.

11. Quo facto nihil aliud impetravit, nisi bonam mortem: Nam venis ejus incisis, leni-
ter

ter mori coactus est[a]. Ab hoc Galerius coepit suos persequi[b].

a *Venis ejus incisis, leniter mori coactus est*. Iterum discrepant Historici non de qualitate mortis solum, sed etiam de loco. Zosimus enim, ubi supra asserit, Severum, quum jam is pervenisset ad locum, quem Tres Tabernas vocant, ab insidiis, quos ibidem Maxentius posuerat, adprehensum, cervicibus laqueo tractis necatum fuisse. Anonym. Valesianus de Herculio loquens dicit; *qui per perjurium Severum deceptum custodiæ tradidit, captivi habitu in urbem perduxit, & in villa publica Appiæ viæ xxx. milliario custodiri fecit. Postea quum Galerius Italiam peteret, ille jugulatus est, & deinde relatus ad octavum milliarium, conditus in Gallienis monumento*; cum quo facere videtur Victor in Epitome cap. XL. n. 3. Sed idem de Cæsarib. num. 7., & Eutropius ubi supra, Ravennæ Severum interfectum fuisse dilucide tradunt. Hos secutus est Scaliger in animadversionibus ad Eusebium, illos autem Valesius in notis suis ad Anonymum. Frustra quæras ab aliis cui sit fidendum. In quibusdam editis: *venis ei*:

b *Ab hoc coepit suos persequi*. In Ms. *ab hoc capite suis* &c. Sed aliqua heic sine dubio excidisse arbitror nec humanum est ea sine alio Codice restituere.

CAPUT XXVII.

I. HErculius vero, quum Maximiani nosset insaniam, cogitare cœpit, illum, audita nece Severi[a], inflammatum ira, cum exerictu esse venturum, & fortasse adjuncto Maximiano[b], ac duplicatis copiis, quibus resisti

a *Audita Nece Severi*. Lactantius ergo contradicit Anonymo Valesiano, qui Severum non prius occisum dixerat, quam Galerius sua statione moveret in Italiam descensurus.

b *Et fortasse adjuncto Maximiano*. Intellige Maximino Cæsa-

sisti nullo modo posset [c], urbe munita, & rebus cœptis inimicis diligenter instruens [d], proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret suæ minoris filiæ nuptiis [e].

Ille

Cæsare Daza, seu Daja, cui nomen mutaverat cap. XVIII. ubi etiam Maximianum appellat.

c *Quibus resisti nullo modo posset*. Boherellus emendandum putat, *quibus quum resisti*. Sed vana emendatio ubi sensus integer apparet.

d *Urbe munita, & rebus cœptis inimicis diligenter instruens*. In Ms. ex Langlet e *instructis* viri eruditi locum, sine dubio depravatum, sic restituere conati sunt:

(& rebus aptis, amicis)
Urbe munita (& rebus cæptis in itinere) diligenter instructis
(& se super captis inimicis)

Ne alios minus aptos modos commemorem.

e *Suæ minoris filiæ nuptiis*. In Ms. *suæ minoris familiæ*. Restitutore Baluzio. Hæc minor Herculii filia, Fausta appellata est, ut infra cap. XXX. videbimus, & apud Vaillantium T. III. p 240. in Numismate Maximi moduli dicitur FLAV. MAX. FAUSTA. Et quamvis hanc solummodo ex Eutropia suscepisset Herculius, quia tamen eadem Eutropia antequam Herculio nuberet, Flaviam Theodoram pepererat, Constantio Chloro nuptam, utramque ut filias suas, majorem Theodoram, minorem Faustam appellavit Lactantius. Jam diu hoc Matrimonium optasse Herculium facile est conjicere ex illa imagine, de qua meminimus ad cap. XXV. Sic enim habet incertus panegyr. Author Constantino, & Maximiano in nuptiarum celebritate dicti num. VI. *Neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi generum, etiam ante quam petere posses sponte delegerat. Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquilejensi Palatio, ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet atque offert tibi, etiam tum puero, galeam auro, gemmisque radiantem, ut te, quod vix ulla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem.*

2. Ille interea [a], coacto exercitu, invadit Italiam, ad urbem accedit [b], Senatum exstincturus, populum trucidaturus [c]: verum clausa, & munita omnia offendit. Nulla erat spes irrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumsedenda mœnia [d] non satis copiarum: quippe qui nunquam viderat Romam [e], æstimaretque illam non multo esse majorem, quam quas noverat civitates [f].

L 3 Tunc

a *Ille interea*. Scilicet Galerius. Aurelius victor de Cæsaribus, cujus verba dabimus infra ad cap. XXIX. aliter hanc narrat historiam.

b *Invadit Italiam, ad urbem accedit*. Zosimus lib. II. hist. *Quum autem Maximianus Galerius haud æquo tulisset animo, quæ in Severum Cæsarem designata fuerant, ab oriente. Romam eundem statuit, & admissorum nomine meritas Maxentio pœnas irrogandas*.

c *Populum trucidaturus*. Anonym. Valesian. pag. 472. *Galerius cum ingentibus copiis Romam venit, minatus civitatis interitum, & castra Interamnæ ad Tiberim posuit*.

d *Ad circumsedenda mœnia* in Ms. *ad circumsedendum*. Forte ad *circumsedendam*.

e *Qui numquam viderat Romam*. Nourrius cap. XII. art. v. p. 325. D. I. quibusdam conjecturis hanc propositionem impugnat; sed contrariam nulla authoritate, aut ratione valida firmat. Quamvis ei præivisset Baluzius qui ad caput XXIII. ex hac Lactantii authoritate contrariam opinionem refellit, nullo veterum Scriptorum authoritate munitam.

f *Æstimaretque illam non multo esse majorem, quam quas noverat Civitates*. Idem Nourrius ait: *Quis enim umquam, nisi insanissimus Imperator ad urbem aliquam obtinendam adgressus est, nisi compertum omnino habuerit quanta esset illius latitudo, & longitudo* &c. Optima quidem conjectura; sed secundum canones criticos non sufficiens ad elevandam fidem scriptoris contemporanei, & quem credi nequit ignarum esse rei, de qua testatur. Heum. mallet: *existimaretque*.

Dete-

3. Tunc quædam legiones, detestantes scelus [a], quod socer generum oppugnaret [b], & quod Romani milites Romam [c], translatis signis imperium reliquerunt [d].

---

a *Detestantes scelus*. In Ms, ex Nourrio: *detestandæ* forsan *detestatæ*, vel *detestando*.

b *Socer generum oppugnaret*. Nempe Galerius Maxentium. Vide quæ a nobis dicta sunt ad cap. XVIII.

c *Et quod Romani milites Romam* &c. Intellige *oppugnarent*.

d *Translatis signis, Imperium reliquerunt*. Langletius mallet: *Imperatorem reliquerunt*. Anonymus Valesianus pag. 657. ait: *Legatos ad urbem misit*, Galerius, *Licinium, & Probum per colloquium petens, ut gener apud Socerum, id est, Maxentius apud Galerium precibus magis, quam armis optata mercaretur. Qui contemptus, agnovit, promissis virorum Maxentii, partes suas deseruisse*. Ob ea, quæ de Licinio cap. XXIX. Noster dicit, hæc de eo intelligi non possunt, quare vel authore Probo, vel militibus ipsis sic volentibus, relicto Galerio, ad partes Maxentii translatis signis, quædam Legiones defecerunt. Defectionis quippe apud Romanos signum erat *pila concutere, & gladios cum vexillis scuta versa gestare*. Ex Sardi lib. III. cap. IX. de moribus, ac ritibus Gentium.

4. Et jam cæteri milites nutabant [b], quum ille, fracta superbia, dimissisque animis [b] Severi exitum metuens [c], ad pedes militum pro-

---

a *Cæteri milites nutabant*. In Ms. ex Hourrio *mutabantur*.

b *Dimissisque animis*. Bohercellus mallet *demissis* quod probat Grævius, qui addit, *dimittere animum quod sit, Latium ignorat*. Falsum tamen est, nam Q. Curtius, quem Latium sui sermonis, & quidem plurissimi dat magistrum, lib. V. suæ historiæ de vita Alexandri M. sic locutus est. *Ne milites desides otio dimitterent animos dimittere* enim est *abjicere*.

c *Severi exitum metuens*. De quo diximus cap. XXVI.

provolutus orabat, ne hosti traderetur, donec promissis ingentibus flexit animos quorundam [d], & retro signa convertit; ac fugam trepidus capessivit; in qua opprimi facillime potuit [e] si cum paucis quispiam sequeretur.

d *Flexit animos quorundam.* Baluzius: *Felix animus quorum.* Ediderat primum; quamvis optime secundis curis emendaverit: *flexit animos eorum*; & propius ad Ms. lectionem Langletius: *flexit animos quorumdam.*

e *Ac fugam trepidus capessivit, in qua opprimi facillime potuit*: pro *potuisset*: ut lib. VI. cap. XXIV. *potuit esse verus Dei cultor.* Zosimus ubi supra, narrat, Herculium non potuisse inducere Constantinum ad persequendum Galerium ex Italia fugientem.

5. Quod quum timeret, dedit militibus potestatem, ut dispersi quam latissime diriperent omnia, vel corrumperent; ut si quis insequi voluisset, utensilia non haberet [a].

a *Utensilia non haberet.* Hoc eodem sensu Livius lib. III. ab V. C. 180. *exutusque omnibus utensilibus miles, Tusculum se, fide, misericordiaque victurus hospitum, contulerat.*

6. Vastata est igitur ea pars Italiæ, quo pestiferum illud agmen [a] incessit, expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ [b], extorti parentes [c], & mariti, ut fi-

 lias,

a *Quo pestiferum illud agmen.* Tollius, Heum. & Langlet. legunt, *qua.*

b *Mulieres corruptæ, Virgines violatæ.* Sic Lactantius lib. I. cap. XVII. *mulieres nuptas a Virginibus distinguit.*

c *Extorti parentes* &c. Scilicet *cruciati*; Seneca Epist. 67. *Per longam nervorum contractionem extortos minutatim*: Vide ad cap. XIV.

lias, ut conjuges, ut opes suas proderent; Abactæ, tanquam de barbaris, prædæ pecorum, ac jumentorum.

7. Hoc modo se ad sedes suas recepit, quum Romanus quondam Imperator [a], nunc populator Italiæ, hostiliter universa vexasset [b].

---

a *Romanus quondam Imperator*. In Ms. ex Anonym. *Imperatorem*.

b *Hostiliter universa vexasset*. In Ms. ex Anonym. *hostili iter*: & Baluzius secundis curis legendum putat *vastasset*, sed minus necessaria emendatio; nam *vexare*, *perdere*, *diripere*, *populari* sæpe apud Latinos scriptores, ut bene vidit Bauldrius, junguntur, ex Asconio Pediano.

8. Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hostem se Romani nominis erat professus; cujus titulum immutari volebat, ut non Romanum Imperium, sed Daciscum cognominaretur [a]:

---

a *Sed Daciscum cognominaretur*. Quod ipse natus esset in Dacia, ut vidimus cap. IX. Quidam editi legunt *Dacicum*.

CAPUT XXVIII.

1. POst hujus fugam, quum se Maximianus alter [a] e Gallia [b] recepisset, habebat

---

a *Maximianus alter*. Nempe Herculius, qui hactenus in Gallia apud Constantinum moratus erat.

bebat Imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur [c], quam seni; quippe quum prior, & major filii potestas [d], qui & jam [e] patri reddiderat Imperium.

b *Alter e Gallia*. In Ms. *altera e Gallia*. ex Anonym.

c *Cum filio. Sed juveni magis parebatur*. Scilicet Maxentio.

d *Quippe quum prior, & major filii potestas*: Subintelligere *esset*; nam quum Prætoriani Maxentium Augustum nuncuparunt, Herculius vitam privatam abdicato Imperio degebat, & Maxentii gratia iterum Imperator est factus; ideoque in administratione Imperii inferior illi esse debebat. In Ms. *fili* ex Anonym.

e *Qui etiam*. In Ms. ex Langlet, *qui & eã*: Editio Aboensis *qui & jam*. Bauldrius, *qua etiam*. Sed nihil mutandum censeo.

2. Ferebat iniquo animo senex, quod non posset libere facere, quod vellet [a]; & filio suo puerili æmulatione invidebat [b]. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret [c]. Quod facile videbatur, quia milites erant [d], qui Severum reliquerant [e].

Advo-

a *Quod vellet*. In Ms. ex Anonym. *quo vellet*. Ideo legendum jubet *quæ*.

b *Puerili æmulatione invidebat*. Sapientissime dictum ad significandam senum quorundam impotentiam, quæ eos reddit pueris simillimos, unde proverbium: *Bis pueri senes*.

c *Ut sibi sua vindicaret*. Scilicet quæ sua aliquando fuerant, & invitus reliquerat, Africam, & Italiam.

d *Quia milites erant*. Cuperus, & Bauldrius addunt *sui*.

e *Qui Severum reliquerant* Milites, quos ad Romam expugnandam duxerat Severus, ii erant, qui quondam sub Herculio meruerant, iidemque se Maxentio dederant, ac tunc pro eo militabant, quum hæc animo volueret Herculius.

3. Advocavit populum, ac milites; quasi concionem de præsentibus reipublicæ malis habiturus. De quibus quum multa dixisset, convertit ad filium [a] manus, & illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum [b], quas respublica sustineret; diripuit ab humeris ejus purpuram [c].

a *Convertit ad filium*. Scilicet Maxentium.

b *Principem calamitatem*. Sic Cicero, Cæsar, & alii Latini Scriptores: *Princeps necis. Princeps sceleris: Princeps belli* pro eo quod est: *Architectus, concitator, Auctor belli, necis, & sceleris*.

c *Diripuit ab humeris ejus purpuram*. Sic in Ms. Al. *deripuit*.

4. Exutus ille [a], præcipitem se de tribunali dedit, & a militibus exceptus est. Quorum ira, & clamore perturbatus est impius [b], & ab urbe Roma, tanquam superbus alter, exactus est [c].

CAP.

a *Exutus ille*. Nempe Maxentius. In Ms. *exsutus* ex Langletio.

b *Senex impius*. Scilicet Maximianus Herculius. Eutropius lib. x. *Herculius tamen Maximianus post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem, & convicia militum tulit*. Et Author incertus panegyrici Constantino dicti n. IV. *Ipse denique, qui pater illius credebatur, discissam ab humeris purpuram detrahere conatus senserat in illud dedecus sua fata transisse*.

c *Ab Urbe Roma, tamquam superbus alter exactus est*. Scilicet Tarquinius superbus, de quo vide quæ diximus ad lib. IV. cap. XIV ubi Lactantius ait: *Tarquinius superbus exactus est*. Male heic Tollius verbum substantivum delendum judicavit.

CAP. XXIX.

1. REdiens rursus in Gallias, ubi aliquantulum moratus est, profectus ad hostem [a] filii sui Maximianum, quasi ut de componendo reipublicæ statu cum eo disputaret [b]: re autem vera, ut illum per occasionem reconciliationis occideret [c], ac regnum ejus teneret, exclusus a suo, quocunque venisset [d].

---

a *Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantulum moratus est, profectus ad hostem* &c. Totam hanc lectionem reformandam putavit Bauldrius hoc modo altius eam repetens: *quorum ira, & clamore perturbatus est senex impius, & ab Urbe Roma, tamquam superbus alter exactus est rediens rursus in Gallias; ubi aliquantulum moratus, est profectus ad hostem* &c. Sed nec satis ad loci restitutionem ista sunt; semper enim videtur, Herculius in Galliam rediens ad hostem divertisse; quod est falsum, quum recta in Galliam, & ex Gallia ad hostem ivisset, ut infra visuri sumus, ideo legerem: *ibi aliquantulum moratus est. Deinde profectus* &c. Scilicet Herculius ad Galerium post quam iterum ad Constantium in Gallium iverat.

b *Ut de componendo Reipublicæ statu cum eo disputaret.* In Ms. *Republicæ statu & cum eo* &c. ex Anonym. qui corrigit *cum eo disceptaret*:

c *Ut illum per occasionem reconciliationis occideret.* In Ms. ex Anonym. *pro occasione*.

d *Exclusus a suo quocumque venisset. Aderat ibi Diocles.* Legunt quidam cum Anonym. *exclusus a suo* scilicet Regno. *Quo cum venisset* scilicet Carnuntum, *aderat ibi Diocles* &c. Alii nihil mutant, & exponunt, Herculius exclusus, erat a quocumque loco sui Regni, in quo se recipere tentasset postquam Roma exactus fuerat.

2. Aderat ibi Diocles [a], a genero nuper acci-

accitus, ut, quod ante non fecerat, præsente illo, imperium Licinio daret [b], substituto in Severi loco [c]. Itaque fit utroque præsente [d]. Sic uno tempore sex fuerunt.

---

a *Aderat ibi Diocles*. Nimirum Carnunti apud Galerium, generum suum.

b *Imperium Licinio daret*. Ad hoc Galerius Dioclem, seu Diocletianum accivit in Pannoniam ex proximo Illyrico, ut eo præsente Licinium renunciaret Imperatorem, eumque substitueret in locum Severi Augusti a Maxentio interfecti. Aurelius Victor de Cæsarib. hoc confirmat, nisi quod, ut ad cap. XXVII. innuimus, hæc facta fuisse, tradit antequam Galerius ad Romam oppugnandam veniret: en verba ejus, quæ heic a nobis danda esse diximus. *Hoc*, nempe Severi eccidio, *acrior Galerius adscito in consilium Jovio, Licinium vetere cognitum amicitia Cæsarem, creat Augustum; eoque ad munimentum Illyrici, ac Thraciæ relicto, Romam contendit*. Cui non solum Lactantius, sed etiam Zosimus, & Anonymus Valesianus contradicunt. Ille quidem, quia narrat, ideo Licinium a Galerio Imperatorem factum fuisse, ut ejus opera contra Maxentium uteretur; iste vero, cujus verba ibidem dedimus, in quibus diserte asserit, Licinium Romam venisse cum eodem Galerio, atque ab eo missum una cum Probo ad Maxentium, ut eum ad concordiam cum Socero induceret. Omnes tamen conveniunt in Licinii inaguratione, quam Carnunti factam tradit Eusebius in Chron. ad annum CCCIX. Sed cave, ne cum Zosimo urbem hanc Pannoniæ ad ripam Danubii sitam, cum ea confundas, quæ Galliæ Celticæ urbs est ad Arduam fluvium: Gallis *Chatrin*.

c *Substituto in Severi loco*. Al. *in locum*.

d *Utroque præsente*. Scilicet Senibus ambobus, Diocletiano, tunc Diocle, ac Maximiano Herculio, Roma expulso qui illuc advenerat, ut dolo malo, vita, & Regno spoliaret Galerium.

e *Sic uno tempore sex fuerunt*. Nempe Galerius, Licinius, Constantius, Herculius, Maximinus, & Maxentius quorum, aliqui Cæsares, aliqui Augusti, omnes Imperatores appellabantur.

---

3. Quare impeditis consiliis senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur [a]; redit

redit in Galliam plenus malæ cogitationis [b], ac ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem, generum ſuum, generi filium, dolo malo circumveniret [c] &, ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem [d].

a *Quare impeditis conſiliis Senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur*. In Ms. ex Anonym. *tertiam quoque pugnam*: quæ lectio ſervanda eſt, & pro *quare* legendum *qua re* ex eodem Anonym.

b *Redit in Galliam plenus malæ contagionis*. Sic edidit Baluzius; ſed male, nam in Ms. eſt *cogitationis*. Lege ergo, puncto antepoſito. Redit in Galliam *plenus malæ cogitationis*.

c *Generum ſuum generi filium dolo malo circumveniret*. Cap. XXVII. vidimus Herculium filiam ſuam Fauſtam Conſtantino Uxorem dediſſe, ideoque hic gener erat Herculii, & ſimul alterius generi filius, quia pater ejus Conſtantius Chlorus, repudiata Helena, Theodoram ejuſdem Herculii privignam jamdiu antea duxerat.

d *Et ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem*. En tertia pugna, quam iniquus ſenex moliebatur. Poſtquam enim Regno expoliare fruſtra tentaverat Maxentium filium ſuppoſitum, nec vitam eripere Galerio potuerat, Conſtantinum hac fraude adoritur, ſimulando ſecundam Imperii abdicationem, purpura depoſita.

4. Francorum gens in armis erat [a]. Perſuadet nihil ſuſpicanti [b], nè omnem ſecum exercitum duceret; paucis militibus poſſe barbaros debellari [c]; ut & ipſe haberet exercitum

a *Francorum gens in armis erat*. De quo Francorum tumultu forte agit Euſebius in vita Conſtantini lib. I. cap. 25. ex Pagio in Crit. Baron. n. VII. ad an. CCCVII.

b *Perſuadet nihil ſuſpicanti*. Scilicet Herculius Conſtantino.

c *Barbaros debellari*. Ivo Carnotenſis in Chron. ait: *Francos lingua attica Valentinianus Im-*

citum, quem occuparet, & ille opprimi posset ob militum paucitatem [d].

Imperator a feritate, & duritia, atque audacia vocari voluit. Sed antiquior apud Romanos Barbarorum nomine etiam Galli appellati sunt. Vide Diss. II § xxx.

d *Haberet exercitum, quem occuparet, & ille opprimi posset ob militum paucitatem*. Sic Baluzius, & alii ediderunt; At in Ms. ex Anonym. habetur *exercitum debellari .... quem possit ob militum paucitate*.

5. Credit adolescens [a], ut perito, ac seni; paret, ut socero: proficiscitur, relicta militum parte majore [b]. Ille paucis diebus expectatis [c], quum jam Constantinum æstimaret intrasse fines barbarorum; repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat, ut solet, large [d]; fingit de Constantino, quæ in ipsum protinus reciderunt [e].

Im-

a *Credit Adolescens*. Nempe Constantinus jam triginta major annis. Vide a nobis dicta cap. XVIII. & Diss. XXIX. cap. X. § I. & in Tabul. Chron. Diss. XXII. Adde incertum Panegyrici Auth. n. v. ubi legitur *Imperator Adolescens*.

b *Relicta militum parte majore*. Trevirorum fortasse, aut in proximis illarum partium castris ob ea, quæ infra narrantur.

c *Ille paucis diebus expectatis*. Nempe Herculius.

d *Repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat, ut solet large* &c. Ideo cum Baluzio potius Treveris hæc contigisse arbitror, quam Arelate, quia ibidem Palatium, & thesauros habuisse videtur Constantinus, ubi sedem fixerat Imperatoriam.

e *Fingit de Constantino, quæ in ipsum protinus reciderunt*. Nempe vel Constantinum a militibus desertum, vel ab hostibus oppressum, quemadmodum ipse Herculius paullo post expertus est.

6. Imperatori propere, quæ gesta sunt, nunciantur [a]. Admirabili celeritate cum exercitu revolat [b]. Opprimitur homo [c] ex improviso, nondum satis instructus; milites ad Imperatorem suum redeunt.

---

a *Imperatori propere, quæ gesta sunt, nutiantur*. Jam Augustus tunc appellabatur Constantinus, qui quamvis hunc titulum recusasset usque ad nuptias cum Fausta initas, tamen in eorum solemniis illum assumpsit, eodem Herculio authore. Incertus Panegyr. Author n. VI. *Cujus tanta maturitas est, ut quum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus expectare malueris, ut idem te, qui illum declaret Augustum*. Eidem Constantino dixit.

b *Admirabili celeritate cum exercitu revolat*. Scilicet Constantinus, cujus discessum, & reditum Eumenius in Panegyr. n. XXI. hisce verbis ostendit. *Dum a limine paulisper abscesseras, quibus se terroribus barbarorum perfidia jactaverat? Scilicet dum sibi illa proponunt, quando perveniet? Quando vincet? Quando fessum reducet exercitum? Quum repente audito reditu tuo, veluti attoniti, conciderunt, nec tuum pro republica votum amplius quam unius noctis cura tetigit. Postridie enim quam accepto illo nuncio geminatum itineris laborem susceperas, omnes fluctus resedisse, omnem quam reliqueras, tranquillitatem rediisse, didicisti* &c.

c *Opprimitur homo* &c. Scilicet Herculius, qui, ut infra Lactantius narrat, Massiliæ bellum parabat ad Constantinum perdendum. Vide eundem Eumenium in eodem panegyrico a n. XVIII.

---

7. Occupaverat Massiliam, & portas obseraverat. Accedit propius Imperator, & in muro astantem alloquitur, non asperè, nec hostiliter; sed rogat, quid sibi voluisset, quid ei defuisset, cur faceret, quod ipsum præci-

pue

pue non deceret [a]? Ille vero ingerebat maledicta de muris [b].

a *Quod ipsum præcipue non deceret?* quum ab Urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, suis Provinciis, suis Copiis suo palatio, Socerum suum, veluti patrem dilectum, ita receperit Constantinus, ut eum penes se habitus, penes illum Imperii authoritas esse videretur.

b *Ille vero ingerebat maledicta de muris.* Nempe Herculius.

8. Tum subitò a tergo ejus portæ reserantur [a], milites recipiuntur. Attrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator [b], pater impius, socer perfidus. Audit scelera, quæ fecit, detrahitur ei vestis [c], & increpito vita donatur [d],

CAP.

a *A tergo ejus portæ referantur*. Scilicet Portæ, quæ erant in parte Urbis, muris oppositæ, in quibus aderat Herculius, nil tale cogitans.

b *Attrahitur ad Imperatorem rebellis imperator*: Nempe Herculius ad Constantinum.

c *Detrahitur ei vestis*: Purpura nimirum, quam paullo ante tertio induerat, absente Constantino.

d *Et increpito vita donatur*: Eumenius ubi supra n.xx. *Illi te intelligimus pepercisse, quem, si prima copiam habuisset irruptio, eripere ferro nemo posuisset. Ita quod ad pietatem tuam pertinet, Imperator, & illum, & omnes quos deceperat, reservasti.*

CAP. XXX.

1. SIc amisso Imperatoris, ac soceri honore [a], humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est.

a *Sic amisso Imperatoris, ac Soceri honore*. Non purpura solum privatus Herculius, sed etiam odio bonorum virorum omnium, vitam satis infelicem ducere coactus, nullus ei habebatur honor; quamvis liber adhuc ei in regiam pateret aditus; quod proditori, etsi pœnitenti, numquam permittendum erat. Qui enim amicitiam simulavit, ut proderet, facile, irrito eventu, simulat pœnitentiam.

2. Quia semel abiit impune [a], vocat filiam Faustam, eamque, nunc precibus, nunc blandimentis sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur; petit, cubiculum patens relinqui, & negligentiùs custodiri [b] sinat.

a *Quia semel abiit impune*. Punctum, quod in editis hanc periochem præcedit cum Boherello, & Gale ad finem ejus censeo transferendum. Vide superius ad Cap.11. Epitom. cap.LIII. & lib.V.

b *Petit cubiculum patens relinqui, & negligentius custodiri*. In quo Constantianus noctu quiescere consueverat, ut ex infra dicendis patet.

3. Pollicetur illa facturam [a], & refert

De Mort.Pers. M pro-

a *Pollicetur illa facturam*: Scilicet Fausta, Filia Herculii, uxor Constantini, cui statim execrandum patris excogitatum ingenue manifestavit, sed subaudi, *se facturam*.

protinus ad maritum. Componitur scena, qua manifesto facinus teneretur [b]. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur [c].

b *Componitur scena, qua manifesto facinus teneretur*. In Ms. *componitur schena* ex Anonym. & Langlet. qui ait; *quasi pronunciandum esset chena, more scilicet Italorum*. At nos Itali hanc vocem, quam nobis affingit Scriptor iste non habemus, & sicuti a Latinis *Scena*, sic à nobis *Scena* pronunciatur sive proprie de Theatris loquamur, sive metaphorice, ut heic eodem utamur vocabulo, ad fictum aliquod exprimendum. *Rè da Scena* & Romæ vulgatum proverbium est: *è una Scena*: Bene Baluzius id ex Taciti lib. XIII. an., & ex Actis purgationis Felicis Aptungitani exponitur.

c *Qui pro Imperatore moriatur*. Scilicet in Cubili ipsius Constantini. Jure ne, an injuria hoc factum sit, facile a nobis dijudicari nequit, qui nescimus, an vilis ille Eunuchus, pro Imperatore suppositus, crimine aliquo mori meruerit. Quid simile certe habetur in eo libro apocrypho, cui temere inditus est titulus libri tertii Maccabeorum cap. I. v. 3., ubi Ptolemæi Philopatoris de M. Antiocho, Syrorum Rege, victoria describitur; narratur enim ibidem, Dositheum, quum forte rumorem obaudisset Ptolomæi necem machinari, eidem persuasisse, ut a tentorio egrederetur, atque illuc loco ejus hominem de plebe, somno, vinoque sepultum, introduxisse, qui postmodum a Theodoto obtruncatus est. Quamquam nihil hac de re Polybius scripserit, qui eandem historiam diligentissime persecutus est.

4. Surgit ille nocte intempesta [a], videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem [b] longius; quibus tamen dicit vidisse somnium [c], quod filio suo [d] narrare

a *Surgit ille nocte intempesta*. Scilicet Herculius.

b *Et ii quidem*. In Ms. & *hii quidem* ex Anonym.

c *Vidisse somnium*. Intellige, se vidisse somnium Impera-

rare vellet. Ingreditur armatus, & spadone obtruncato, prosiliit gloriabundus[e], ac profitetur, quod admiserit[f].

ratori omnino revelandum. Somnia enim Ethnicis religiosa erant & veluti Deorum admonitiones ab eis plerumque habebantur.

d *Quod filio suo*. Hoc nomine Constantinum, generum suum appellabat.

e *Prosiliit gloriabundus*. Tollius mallet *prosilit*.

f *Ac profitetur quod admiserit*. Idem Tollius, lege, inquit, *admiserat*, vel *quid admiserit*.

5. Repente se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur è cubiculo cadaver occisi; hæret manifestarius homicida[a], & mutus stupet, quasi

Dura silex[b], *aut stet Marpesia cautes*;

Impietatis, ac sceleris increpatur. Postremo datur ei potestas liberæ mortis:

Ac nodum informis[c] *leti trabe nectit ab alta*.

Ita ille Romani nominis Maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum[d] cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit[e], eliso, & fracto superbissimo guttu-

 re,

a *Hæret manifestarius homicidia*. Sic Plautus Aulul. *Et Trinum: Manifestarius fur*. Scilicet *manifestus*, in crimine deprehensus.

b *Quasi dura Silex*. *stet Marpesia cautes*. Virgil. Æn. lib. VI. V. 471.

c *Ac nondum informis*. *leti trabe nectit ab alta*. Idem Æn. lib. XII. v. 603.

d *Temporis intervallum*. In Ms. *temporis intervallo* ex Anonym.

re f, vitam detestabilem turpi, & ignominiosa g morte finivit.

e *Viginti annorum vota celebravit*. Id est Vicennalia, de quibus vide ad cap. XVII.

f *Eliso & fracto superbissimo gutture*. Sic Eutropius lib. X. Victor. in Epitom. & Eusebius in hist. lib. VIII. cap. XIII. suppl. & in Chron. an. CCCX., in quo eandem necem consignant Fast. Idaciani, contra Zosimum, qui hoc Tarsi diversimode accidisse narrat; Herculium cum Daja confundens, ut infra visuri sumus. Hoc enim Massiliæ contigit. Vide Tabulam Chron. Diss. XXII. cap. II. § VIII. Hadrianus Valesius, ut Baluzius heic optime perpendit, perperam, ac temere asseruit, Herculium a Constantino occisum ob purpuram tertium sumptam; nam longe majorum criminum reum, pœna eum plectere debuit mitissimus Imperator, qui paullo ante eidem, veniam non merenti, dederat. Unde Eumenius in panegy. n. XX. Scite dixit; *Sibi imputet quisquis uti noluit tuo beneficio, nec se dignum vita judicavit, quum per te liceret, ut viveret*.

g *Turpi, & ignominiosa*. In Ms. *turbi* &c. ex Langlet.

CAPUT XXXI.

1. AB hoc DEUS, religionis, ac populi sui vindex, oculos ad Maximianum alterum a transtulit, nefandæ persecutionis authorem b, ut in eo etiam vim Majestatis ostenderet c.

Jam

a *Ad Maximianum alterum*. Nempe Galerium.

b *Nefandæ persecutionis authorem*. Vide supra cap. X. nec fidas Scaligero in animadversionibus ad Eusebii Chronic. n. MMCCCXXVI. ubi ait. *Neque Galerius Maximianus Armentarius Christianos unquam persecutus fuit*: nam ultra Lactantii, & Eusebii testimonia de Galerio Fideles Christi acerbissime persequente, etiam Anonymus Valesianus idem hisce ver-

verbis testatus est : *Ad Sardicam regressus, morbo ingenti occupatus sic distabuit, ut aperto, & putrescente viscere moreretur, in supplicium persecutionis iniquissimæ* &c.

c *Ut in eo etiam vim majestatis ostenderet*. Baluzius notat: *In hoc loco desiderantur aliquot litteræ in veteri exemplari, in quo ita legitur* : ut in eo & . . . . . . *in majestatis ostenderet*. Suamque emendationem firmat ex similibus Lactantii locis lib. I. cap. 3. lib. III. cap. VII. lib. IV. cap. 26. & lib. VI. ca. 9. Langletius legit *etiam virtutem* : Anonym. *etiam suæ vim majestatis* : ex cap. I. hujus operis, & ex cap. XXVII. Epitom. Sic etiam Nourrius quem tamen difficile erit explicare; dicit enim . *In tria Ms. ea verba initio paginæ amputata sunt* . At quomodo *In tria* Ms. Si unus solummodo in orbe toto reperitur hujus libelli Ms. Codex?

2. Jam de agendis & ipse vicennalibus cogitabat [a]; itaque, ut suis ille, qui jam dudum [b] provincias afflixerat, auri, argentique indictionibus factis, quæ promiserat, redderet [c], inani nomine vicennalium securem alteram inflixit [d].

M 3 Quæ

a *Jam de agendis & ipse vicennalibus cogitabat*. Nondum quippe tempus expletum erat. Vide Tabul. Chronl. diss. XXII. In Ms. *vicinalibus* ex Anonym.

b . . . . *qui jam dudum* &c. Puncta hæc deletum verbum designant, pro quo quidam *&*, quidam *ut* Alii *& ut* Columbus *ut Diis suis*. Cuperus: *& ut iis* supplent.

c *Quæ promiserat redderet*. In Ms. ex Anonym. *reddiret*.

d *Et inani nomine vicennalium securem alteram inflixit*. Non unum heic cubare mendum expositores novere, nec magis obvium offendi locum sanandi modum, quam illum a Grævio indicatum Scilicet: *& inani nomine vicennalium securim alteram inflixit* : quasi diceret sub obtentu, & prætextu celebrandorum vicennalium suorum civitates ac Provincias ad nova tributa solvenda coegit. *Securim enim infligere* phrasis est Ciceroniana. Sic in Oration. pro Plancio cap. 29. Securim Reipublicæ infligere, & Valer. Max. *Securim templi foribus inflixit* : etiam *Securim injicere* dixit Cicero pro Murena pro eo quod est *vehementer affligere*. Copulam autem delevi, eam redundare ratus.

3. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit, maxime rei annonariæ, quis enarrare digne potest[a]? Officiorum [b] omnium milites, vel potius carnifices, singulis adhærebant: cui prius satis fieret, incertum. Venia non habentibus nulla [c]: sustinendi multiplices cruciatus [d], nisi exhiberetur statim; quod non erat.

a *Quis enarrare digne potest?* In Ms, *& quis*. Al. *Ecquis*.

b *Officiorum omnium*. Vide ad cap. VII. quid de officiorum vocabulo diximus.

c *Veniam non habentibus nulla*. Nourrius *ullas*. Baluzius secundis curis correxit: *venia nam habentibus nulla*. Subintelligendo *dabatur*. Tollius: *quin etiam non habentibus via nulla*.

d *Sustinendi multiplices cruciatus*. Ultima littera, quæ redundabat in voce superiori *nullas*, primæ voci parumper immutatæ si addatur hujus periochæ, habebimus *sustinendi multiplices cruciatus*: subaudi *erant*. Ita quod sensus sit: Venia nulla dabatur non habentibus quid penderent, erant enim iis sustinendi multiplices cruciatus, ut proderent, quod miseri non habebant.

4. Multis custodiis circumsepto nulla respirandi facultas [a], nullo tempore anni, vel exigua requies, frequens super hisdem hominibus, vel ipsis judicibus, vel militibus judicum, pugna [b]; nulla area sine exactore, nulla

a *Multis custodiis circumsepto nulla respicendi facultas*. Intellige, cuique homini non dabatur respirandi facultas, siquidem singuli erant custodiis multis circumsepti; nec est necesse legere cum Tollio circumseptis, vel cum Bauldrio: *aut erat multis custodiis circumseptum*.

b *Frequens super iisdem hominibus, vel ipsis judicibus, vel*.

nulla vindemia ſine cuſtode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quamquam intolerabilia ſunt, eripi ab ore hominum cibos labore quæſitos; tamen ſuſtentabile [c] aliquo modo, vel ſpe futurorum [d].

vel militibus judicum pugna: Scilicet omnibus hominibus ſuper, ſive de eodem vectigali pugna erat vel cum judicibus ipſis, vel cum militibus eorumdem judicum.

c *Quæ quum tolerabilia ſunt, eripi ab ore hominum cibos labore quæſtos, tamen ſuſtetabile* &c. in Ms. *tamen ſuſtentabile*: Locus iſte depravatus ſic redditus eſt ſuæ integritati ab Anonymo: *quæ quamquam intollerabilia ſunt; eripi hominum cibos labore quæſitos, tamen ſuſtentabile aliquo modo* &c. Ego vero legerem: *eripi ab ore hominum cibos labore quæſitos*: Tò ſuſtentabile Lactantii eſt lib. VI. cap. 18. lib. VII. cap. 16.

d *Vel ſpe futurorum*: Bauldrius: *vel ſpe futurarum*: Quaſi ſenſus eſſet; Ideo tollerabilia videbantur ea, quæ colligebantur ab exactoribus, ſive ex frumento, ſive ex vino, quia in animalium fæturis ſpem miſeri collocabant.

5. Quid veſtis omnis generis? quid aurum? quid argentum [a]? nonne hæc neceſſe eſt ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc [b], o dementiſſime tyranne [c], præſtabo,

a *Quid veſtis omnis generis, quid aurum, quid argentum?* Bauldrius excidiſſe putat *exigitur* Bunem. *comparanda*: Locus certe mutilus. Sed adhuc Lactantium prodens au thorem; is namque Epit. cap. 38. *quid veſtes? quid argentum? quid aurum? quid pretioſi lapides conferunt?* &c. Anon. ex Ms. legit *quod*.

b *Unde igitur hoc*: forte *hæc*.

c *O demeniſſime Tyranne*: Galerius hac apoſtrophe compellatur.

ſtabo, quum omnes fructus auferas [d], universa naſcentia violenter eripias?

d *Præſtabo, quum omnes fructus auferas* &c. Hinc colligo, tributa omnia, quæ Imperatori pendenda erant hac tam gravi vexatione, plurima fuiſſe, quarum aliqua pro vicennalibus celebrandis, alia pro veſtibus, cæteriſque Imperatoriis utenſilibus deſtinata.

6. Quis ergo non bonis ſuis everſus eſt, ut opes, quæ ſub Imperio ejus fuerunt, conraderentur ad votum [a], quod non erat celebraturus [b].

a *Ad votum*: In feſtis Imperatorum natalibus non ſolum gratiæ Diis agebantur, ſed etiam vota publica concipiebantur, ut diximus cap. XVII. a populo pro eorum ſalute, atque diuturna incolumitate. Hoc in nummis apparet, in quibus legitur; *Vota publica*: *Vota X. Caeſſ.*: Vota X. Sic XX. *Vota XX. mult. XXX.* &c. Vide Indicem II. tom. 3. Vaillantii Num.

b *Quod non erat celebraturus*: Morte enim præventus Galerius Vicennalia non celebravit, quibus parandis tanta vis auri extorta fuerat, ut Noſter, & omnes narrant hiſtorici illorum temporum.

CAP. XXXII.

1. Nuncupato igitur Licinio Imperatore [a] Maximinus iratus, nec Cæſarem

a *Nuncupato igitur Licinio Imperatore*. Narrationem, quam Cap. XIX., ut res Maximiani Herculii Author noſter perſequeretur, intermiſerat, hæic reaſſumit.

rem se, nec tertio loco, nominari volebat [b].

b *Maximinus iratus nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat*: Maximinus ille; qui antequam a Diocletiano Cæsar fieret, Daja, seu Daza nominabatur, quum audivisset Licinium Severi locum impleviſſe, atque Auguſtum à Galerio nuncupatum, id ægre tulit, nam ſibi illum deberi contendebat, utpote qui inter Cæſares tunc primus erat, ideoque etiam Auguſtus dicendus, ac in Imperiali dignitate a Galerio collega aſſumendus, ne poſt Licinium, tertio loco; quocumque nomine, appellaretur. Euſebius lib.VIII. cap.XIII. addit hunc Maximinum tyrannico ingenio præditum, non expectato Galerii, aliorumque conſenſu, ſemet ipſum Auguſtum poſt Severi mortem nuncupaſſe: In Ms. teſte Nourrio non *Maximinus*, ſed ut etiam ſuperius, *Maximianus* legitur, quemadmodum etiam infra, unde eruo, eum vere vocatum fuiſſe *Maximinum Maximianum.*

2. Mittit ergo ad eum ſæpe legatos [a], orat ſibi pareat, diſpoſitionem ſuam ſervet, cedat ætati, & honorem deferat canis [b].

a *Mittit ergo ad eum ſæpe legatos*: Galerius ad Maximinum nuncios mittit, ut animum ejus ſuis placitis accomodet.

b *Honorem deferat canis*, Senex enim jam eſſe cœperat Galerius, de eo quippe hæc intelligenda ſunt cum Baluzio, non autem de Licinio, qui juvenis adhuc tunc erat. Vide tabul. Chron. Lact. lib.VII. cap.17. *Non canos quiſquam reverebitur*.

3. At ille tollit audacius cornua [a], & præſcriptione temporis pugnat, ſe priorem eſſe debere [b] qui prior ſumpſerit purpuram; preces ejus, & mandata contempſit.

Dolet

a *At ille tollit Audacius cornua*: Nempe Maximinus.

b *Et præſcriptione temporis pugnat, ſe priorem eſſe debere-*

re &c. Sic optime Baluzius restituit, ubi Ms. *Praescriptionem temporis pugnat se se* &c. ex Anonymo qui primum *se*, exponit, *Scilicet se priorem* &c.

4. Dolet bestia, & mugit [a], quod quum ideo [b] ignobilem fecisset Cæsarem, ut sibi obsequens esset; is tamen tanti beneficii sui oblitus, voluntati, ac precibus suis impie repugnaret.

a *Dolet Bestia, & mugit*: Nempe Galerius.

b *Quod Eum ideo*: lege: *quod quum ideo* &c.

5. Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat [a], Maxentium & Constantinum filios Augustorum [b].

a *Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se, Liciniumque Augustos appellat, Maxentium, & Constantinum filios Augustorum*. Sic in Ms. quamvis Baluzius secundis curis, & quidam alii pro Τὸ *Maxentium* legendum putent *Maximinum*. Major tamen eruditorum discrepantia in eo sita est, de Galerio ne; an de Maximino ista hæc narratio intelligenda sit? Pro prima problematis parte plerique cum Baluzio sentiunt. Pro secunda vero nonnulli cum Pagio pugnant. Ego vero Pagii sententiam secutus, lectionem totam ablato ultimo puncto, sic reformo: *Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum Maximinus*; *postmodum scribit* &c. vide diss: xxxi. cap. III. §. xiv.

b *Maxentium & Constantinum filios Augustorum*: Toinardus in notis ad hunc librum putat titulum hunc fuisse a Maximino excogitatum non quia significare vellet, Maxentium, & Constantinum esse re vera ab Augustis genitos, sed ut eos ve-

veluti in classem redigeret, nulla enim, vel exigua erat in Imperio potestas eorum, qui filii Augustorum dicebantur, idque ostendere satagit ex numismate Costantini a Medio barbo exhibito pag 439. Validius ex aliis nummis appellationem hanc esse titulum honorarium, & dignitatis indicativum ostendere nititur Joseph Bimard dissert., quæ sexta est Tomi III. *Saggi di dissert. Accad. di Cortona*, quamvis hic cum Baluzio, *Maximinum*, ille cum Pagio *Maxentium* legat, & exponat quæstionem, quam in superiori annotatione tetigimus. Sed de his omnibus vide diss. de qua nota superiori.

6. Maximinus postmodum scribit quasi nuncians [a], in Campo Martio proxime celebrato [b] Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mœstus, ac dolens, & universos quatuor Imperatores jubet numerari [c].

CAP.

a *Quasi nuncians*. Optime Bauldrius advertit, notandam heic esse vim verborum, quum non solum, ut ipse ait, longe minor ille sit, quam si Lactantius scripsisset *denunciat*, sed etiam formidinem, & captiosam quandam reverentiam præseferat; quasi animum Galerii explorare vellet, quid de ea re sentiret, atque qua eam exciperet voluntate. Vide diss. xxxi. cap. III. §. ix.

b *In Campo Martio proxime celebrato*: Heinsius excidisse putat verbum, legitque *in Campo Martio, ludo proxime celebrato*: Sed bene Bauldrius conjecturam respuit, nam Teste Cicerone, *Campus* sumitur pro *Comitiis* Lib. III. de Orat. *Gravis est modus in ornatu orationis, & sæpe sumendus, ex quo genere hæc sunt. Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro Mari, Curiam pro Senatu, Campum pro Comitiis* &c. Idem ergo est heic *in Campo Martio*, ac in Comitiis Martialibus, seu Militaribus, non autem intelligendus venit, locus ille determinatus, qui Romæ *Campus Martius* dicebatur. Hæc vel acta sunt, vel finguntur acta, extra Romam. Puta in Aegypto, aut in Syria, ex infra dicendis Cap. XXXVI.

c *Et universos quatuor Imperatores jubet numerari*: In Ms. *munerari*: ex Anonymæ Langletius mallet *nominari* Heum. ex Cicer. defendit *numerari*: Hinc colligo fractum jam tunc fuisse Galerii animum, nec potuisse amplius Cæsaribus legem aliquam imponere quum quisque ex illis fortior esset, simulque confirmo quod in differ. XXXI. cap. III. §. XIV. dixi, nimirum, Maximinum substulisse Cæsarum nomen.

CAPUT XXXIII.

1. JAm decimus, & octavus annus agebatur [a], quum percussit eum DEUS insanabili plaga [b]. Nascitur ei ulcus malum [c] in inferiori parte genitalium, serpitque latius.

a *Jam decimus & Octavus annus agebatur*: Scilicet ex quo Galerius dictus fuerat Cæsar à Diocletiano, ut dixi ad Cap. VII. vide Tabul. Chron. diss. XXII. cap. II. §. VIII.

b *Percussit eum insanabili plaga* Sic Lact. lib. VII. cap. XV. *Percussit Dominus Aegyptum insanabili plaga*:

c *Ulcus malum*: Aurelius Vict. de Cæsar dicit, Galerium correptum *vulnere pestilenti*; Eusebius *abscessu*, seu *Apostemate*, ex quo *ulcus purulentum, ac fistulosum* lib. VIII. hist. eccl. cap. 16.

2. Medici secant, curant; Sed inducta jam cicatrice scinditur vulnus [a], & rupta vena fluit sanguis usque ad periculum mortis [b]. Vix

a *Sed inducta jam cicatrice scinditur vulnus*: Sic Baudrius, & Baluzius secundis curis apud Langletium, qui tamen prima in editione vulgaverat: *Sed inductam cicatricem scindit vulnus*. Grævius mallet: *Inductam cicatricem rescindit vulnus*.

Vix tamen [c] cruor ſiſtitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur [d] ad cicatricem.

b *In inferiori parte*; In Ms. *in inferi parte* ex Anonym. c *Vix tamen* Gale, & Boherellus legunt: *vix tandem*: d *Tamen perducitur*: In Ms. ex Anonym. *perdicitur*;

3. Rurſus levi corporis motu [a] vulneratus [b]; plus ſanguinis, quam ante, decurrit. Albeſcit ipſe [c], atque abſumptis viribus tenuatur [d]; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur.

a *Levi Corporis m. . . .*, Sic ex Ms. ediderunt Baluzius, & Nourrius qui & ſupplevit: *motu*: quamvis Langletius inſpecta ſpatii latitudine potius: *motione*: aſſerat legendum eſſe. b *Vulneratur*. Sic in Ms., ſed alii legunt *vulneratus* Al. *vulnerator*. Sic *vulnere reſciſſo*: c *Albeſcit ipſe* id eſt: *palleſcit*. d *Tenuatur*: Erat enim Galerius valde pinguis Cap. IX. *Caro ingens, & in orrendam magnitudinem diffuſa, & inflata*.

4. Incipit vulnus non ſentire medicinam; proxima quæque [a] cancer invadit, & quanto magis circumſecatur, latius ſævit [b]; quanto curatur, increſcit [c].

. . . . , *Ceſſere Magiſtri*, *Phi-*

a *Proxima quæque* In Ms. ex Langletio: *promaxima* &c. b *Latius ſævit* Anonym. præfert: *Latius ſerpit*. c *Quanto curatur increſcit* Gale: *ægreſcit*.

Phillyrides [d] *Chiron*, *Amythaoniusque*
Melampus.

Undique Medici nobiles trahuntur [e]; nihil humanæ manus promovent.

---

d *Cessere Magistri Phillyrides* &c. Turpiter hæc verba depravata sunt in Codice Ms., & optime restituta in editione Oxomiensi ex Virgil. III. Georg. a V. 549.
. . . . *cessere Magistri Phillyrides Chiron*, *Amythaodiusque Melampus*; quæ exponente Servio innuunt: *convalescente morbo nec medicinam prodesse, nec Religionem*: Nam per Chironem, Phyllirae filium, medicina significantur, per Melampum, Amychaonis filium, Religio—, quum hic purgaverit Proetidas lustrationibus a se adinventis; ille autem erbis vulnera sanare docuerit.

e *Trahuntur* Grævius *contrahuntur*: Nihil mutandum censeo, nam per Tὸ *trahuntur* non solum exprimitur advocatio Medicorum, sed quod etiam inviti adducerentur. Refert enim Orosius lib. VII. cap. 28. *hist. adv. Pagan.* quod quum medici ultra fœtorem ferre non possent, crebro jussu ejus occludebantur, ut infra ex Ruffino confirmabimus.

5. Confugitur ad Idola; Apollo, & Asclepius orantur [a]; remedium flagitatur [b]. Dat Apollo curam [c]: malum multo pejus augetur. Jam

---

a *Apollo*, & *Asclepius orantur* Lact. lib. 2. cap. 1. ad Deum *confugitur Deus . . . . oratur*. De Asclepio pro Aesculapio vide ibidem cap. x., & xvii. de Apolline cap. vii.

b *Remedium flagitatur*. Gale, *potius flagitantur* sed nihil mutandum, quum latine dicatur & *flagitare aliquid*, & *flagitare aliquem*.

c *Dat Apollo curam* Gale; *imo non dat Apollo curam* Heum. *Negat Apollo curam* At qua ratione hæc immutatio facienda sit, non Video. Quid enim mirum, si cura ab Apollinis Oracolo indicata, & tradita non juvat ei, cui morbus ille insanabilis in pœnam suæ immanitatis a Deo fuerat immissus?

6. Jam non longe pernicies aberat [a], & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus [b] viscera, & in tabem sedes tota dilabitur [c]. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare.

---

a *Non longe aberat*. In Ms. *non longe haberat*: ex Anonym.

b *Forinsecus*. Usus est hoc eodem adverbio Lact. in lib. de Opif. Dei cap. 11.

c *Et in tabem sedes tota dilabitur*. Vide Lact. lib. VI. cap. 24. In Ms. *sedis tota*, quæ lectio non omnino respuenda, nam similia verba in recto sæpe occurrunt. E. g. *Plebis*, *Pubis*, *Torquis*, *Felis*, *Vulpis*, *Prolis* &c. Vide Heins. ad Prudentii Peristeph., & Bunem. heic.

7. Repercussis medullis [a], malum recidit retrorsus, & interna comprehendit; vermes intus creantur. Odor autem non modo per palatium, sed totam civitatem pervadit [b]. Nec mirum, quum jam confusi essent exitus stercoris, & urinæ [c].

Co-

---

a *Repercussis medullis*. Tollius *Medullas* heic pro affluentibus humoribus usurpatas putat, sed non bene; nam ab aliis omnibus depravata hæc lectio judicatur interpretibus, quamvis diversimode eam restituere curaverint legendo: *repercussum medelis malum*: *repercussis medelis*: *percussis medullis*.

b *Odoritatem.....pervadit*. Baluz. secundis curis: *Odor teter seu odoris diricas*. Spark. *odor autem*. Cuperus: *odoritas tetra*. Columbus *odor ita teter*. Vossius *odor is*, aut *it autem*. Grævius: *odor dirus autem*.

c *Exitus stercoris, & Urinæ*. *Comestur a vermibus, & in putredinem corpus* &c. Editio Oxonien. habet *comesti*, Gale *comestur*. Langlet. *comestum*. Ms. *comestus*.

8. Comestur a vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.

Clamores simul [a] *horrendos ad sidera tollit:*
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus . . . .

a *Clamores simul* &c. *Clamores simul horrendos ad Sydera tollit. Quales mugitus fugit quum Saucius aram Taurus* &c. Virg. lib. III: Æn. a v. 122. In Ms. *fingit Saucius Taurus*.

9. Apponebantur ad sedem fluentem cocta, & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor [a]. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen [b]; & tamen multo majorem copiam tabescentium viscerum pernicies foecunda generaverat [c].

a *Eliceret calor*. In Ms. *eligeret* ex Anonym.

b *Inæstimabile scatebat examen*. Scilicet vermium. Lact. lib. I. cap. 16. *numerus inæstimabilis*: & in Epitom. cap. LXXII. *vis inæstimabilis Angelorum*.

c *Tabescentium viscerum pernices foecunda generaverat*. Ms.: *tabensciùm viscerum pernices secunda* &c.

10. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem [a]. Superior usque ad vulnus

a *Amiserant speciem*. In Ms. *admiserant* &c. ex Anon.

nus aruerat, & miserabili macie cutis lurida[b] longe inter ossa consederat: inferior sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat[c].

b *Cutis lurida.* I. e. *pallida.* In Ms. *luride*. Horat. Epod. ode XVII. v. 22.

. . . . . & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida.

c *In utrium modum inflata discreverat*. Graevius: *increverat*: quod verbum Lactantio frequens. Vide lib. II. cap. 13. lib. IV. cap. 1. &c. Bunem. *distenderat*. Heum. *distenta erat.* Gale: *discrepuerat*. Tollius servat *discreverat*: non a *discerno* sed *A discresco*, quod rarum verbum esse notat pro eo quod est distendere, & intumescendo dilatare: ultra modum crescere, de quo etiam si exemplum non habeam, tamen originem video ex *Dis*, & *cresco* ut *Dis rumpo dis semino* &c. Sulpicius Sever. Dial. II. cap. 2. *Cerneres omnibus venis inflatam cutem, & ad utris instar tenta vitalia*. Tam diligens, & exacta est haec Galeriani morbi descriptio, ut etiam peritissimis medicis quibusdam admirationem pareret quum eorum oculis percurrendam serio exhibuissem. Vix enim credere, se quidam eorum asseruit, eam factam esse ab homine Medicae artis ignaro.

11. Et haec facta sunt per annum perpetem[a], quum tandem, malis domitus, DEUM coactus est confiteri[b]. Novi doloris urgentis per

a *Et haec facta sunt per annum perpetem*. Res notanda, de qua in tabul. Chron. diss. XXII. cap. II. Ubique Lactantium ostendit, qui lib. VII. cap. 26. *per annos septem perpetes*. In Epit. cap. LXXII. *gemitus perpetes* &c.

b *Deum coactus est confiteri*. Baluzius hunc Ruffini verbis locum egregie illustravit; quae a nobis repetenda ex lib. VIII. cap. XVIII. equidem censeo, ut impleam quae paullo supra sum pollicitus. *Denique plerosque Medicorum, quod nec morbo*

per intervalla exclamat: se restituturum DEI templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi [d]:

morbo aliquid mederi, nec vim fatoris tolerare possent, interfici jubet. In quibus quum quidam jugulandus potius, quam medicaturus assisteret, inspiratus a Deo, cur, inquit, Imperator erras, & quod Deus infert ab hominibus putas posse revocari? Nec humanus est iste morbus, nec a medicis curatur. Sed recordare quanta in Servos Dei egeris, quamque in religionem divinam impius, & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum caeteris potero, tu tamen a medicis non curaberis. Tunc primum se Maximianus hominem esse intellexit.

c *Novi doloris urgentis.* Prava lectio, quam sic restituere curarunt eruditi *nam vi doloris urgentis*. Seu *urgente*. Vel *nova vi doloris* &c.

d *Edictum misit hujusmodi.* Lactantii beneficio hujus Edicti exemplar latinum iisdem verbis, quibus scriptum est, habemus: nam illud, quod extat apud Euseb. lib. VIII. cap. XXIX. ex Latino ab eo in Graecum sermonem fuerat versum, & deinde ex Graeco in Latinum a Ruffino translatum.

CAPUT XXXIV.

1. INter cetera [a], quae pro reipublicae semper commodis [b], atque utilitate dispo-

a *Inter Caetera*: Hujus edicti praefationem, quam dat Eusebius cap. XXIX. praelaudato: Al. XXVIII. Al. XVII. Lib. VIII. H. Ecc. satis variam invenimus in versionibus Ruffini, Christoph. & Vales. immo etiam in non nullis cum Mss., tum prelo editis libris, quorum aliqui Galerium, Constantinum, & Licinianum, seu Licinium Augg. exhibent: Alii tertium hunc omnino omittunt: Alii pro Maximiano Maximinum; pro Constantino, Constantinum legunt. Vide Diss. XXXI. cap. III. §. XVII.

ſponimus [c], nos quidem volueramus ante hac, juxta leges veteres [d], & publicam diſciplinam Romanorum [e], cuncta corrigere; atque id providere, ut etiam Chriſtiani, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam [f], ad bonas mentes redirent [g].

---

b *Semper commodis*. Quia apud Terentium unica dictione, teſte Donato in And. 1. 2. 4. reperitur *ſemper lenitas*, dubitat Bauldrius quin ita pariter heic legendum ſit, quod equidem aſſerere non auderem. Conſule ibidem Donatum.

c *Atque utilitate diſponimus*. Eodem ſenſu, *quo diſpoſitionem ſervari* ſuperius c. XVIII. & cap. XXXII. *diſpoſitionem ſervet*: ſcilicet ordinem conſtitutum; *diſponere* enim eſt, *ordinare*, quamvis apud rhetores ſit: inventa ſuis locis diſtribuere.

d *Juxta leges veteres*. Scilicet ab aliis Tyrannis contra Chriſtianos latas.

e *Et publicam diſciplinam Romanorum*. Circa ritus, & cultum Deorum.

f *Qui parentum ſuorum reliquerant Sectam*. Nullam Religionem, ethnica ſuperſtitione antiquiorem eſſe, Pagani falſo ſibi perſuaſerunt; ideoque tam Judæos, quam Chriſtianos, nova molitos fuiſſe putabant.

g *Ad bonas mentes redirent*. Stultitia quippe Gentibus erat, Chriſtum Crucifixum Deum credere, & adorare. Hinc Lact. lib. V. cap. XIX. ait. *Ignoratio efficit ut in perſequendis ſapientibus tam mali ſint, fingantque illis conſulere, illos ad bonam mentem velle revocare*.

2. Siquidem [a] quum (neſcio qua nam ratione) tanta eoſdem Chriſtianos voluntas invaſiſ-

---

a *Siquidem* &c. In Ms. *quadam*, ac in omnibus editis ante editionem Pariſienſem poſtremam, in qua legitur: *ſiquidem eadem ratione*, nulla hujus variantis lectionis aſſignata ratione. Bauldrius *Putavi*, inquit, *aliquando, ante*:

vasisset, & tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur [b], quæ forsitan pri-

antequam Eusebii versionem cum hoc loco contulissem, emendandum fuisse. Siquidem quædam erat ratio, ne tanta eosdem Christianos voluntas invasisset &c. Postea vero, quum apud Eusebium legisset ea, quæ sequuntur, interrogationis puncto esse insignita, nihil mutando, ea sic exposuit. *Siquidem dicebamus olim, quanam ratione voluntas tanta perversos illos Christianismi Sectatores invasit, tantaque stultitia occupavit, ut non ea veteris secta instituta sequantur, quæ primi forsitan istorum Pseudo Christianorum parentes constituerunt; sed pro arbitrio suo, atque ita ut primis tandem Christiani cultus conditoribus fuit libitum, sibimet leges faciant, quas observent, & per diversa varios populos congregent?* Verum nec omnes Eusebii codices interrogantis verba habent, neque Interpretes latini cum interrogationis nota Eusebiana verba referunt; ideoque consone ad ea, quæ ibidem recitantur lego: *Siquidem quum ea ratione* &c. sive. *Siquidem, quum (nescio quanam ratione)* &c.

b *Ut non illa veterum instituta sequerentur*. Gentiliumne, an Christianorum? Tollius, Gentilium, Baluzius Christianorum instituta intelligunt. Is addit: *Taxat Christianos, quod a prisca illa parentum suorum simplicitate defecissent. Eusebius sane lib.* VIII. *cap.* I. *Calamitosum Ecclesiæ illius ævi statum describens, invidias, obtrectationes, quasi bella intestina inter Christianos, Antistitum adversus Antistites certamina; & cætera, quæ iram Dei adversus ipsos excitarunt. hinc ortam esse ait persecutionem Diocletiani, & Maximiani adversus Ecclesiam* &c. Sed facile allucinatus est; nam aliud est, Deum permisisse vexationem illam Christianorum propter quorumdam Episcoporum ambitionem, ac Schismata in Ecclesia conflata. Aliud est, quod propter ea Diocletianus, suadente Galerio, persecutionem sævissimam movere instituisset. Primum, utcumque ab Eusebio dici videtur; secundum nemo prudens dixerit, quum sublato motivo odii adversus Christum, & legem illam, jam de medio Martyres omnes tollerentur in ea persecutione obtruncati. Præterea jam superius a cap. x. motæ Diocletianeæ persecutionis caussam, Lactantius clarissime aperuit, neque hactenus Acta Martyrum legi-

primum parentes eorum [c] constituerant; sed pro arbitrio suo, atque ut iisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent, quas observarent [d], & per diversa varios populos congregarent [e].

legimus, in quibus aliud ab eis petierint Judices, nisi quod, ejuratis Christi fide, & nomine, Idolis immolarent. Quod infra ex hoc eodem edicto egregie confirmatum videbimus.

c *Quæ forsitan primum parentes eorum*. Al. *primi* ..... *eorundem*. Mala fide hæc immutata sunt; nam teste Nourrio, & Langletio in Ms. legitur: *quæ forsitan primum parentes eorundem*.

d *Sed pro arbitrio suo, atque ut iisdem erat libitum, ita sibi met leges facerent, quas observarent*. Non solum de Hæreticorum, Schismaticorumque sectis, hæc intelligenda sunt, tunc gliscentibus, ac male subortis; sed de legibus Synodalibus, quæ ad eas, malosque in disciplina ausus eliminandos, à Sanctissimis Antistitibus cogebantur. Quamvis enim turbas concitare palam cœpissent tunc Meletius, Arius, sectatoresque eorum; nondum tamen in partes orbem terrarum ea dissipaverant, ut Imperatores e re sua esse judicaverint, regios fasces in eos adhibere: Hoc quippe paullo post sub Constantio primum factum est. Neque hactenus Ecclesia sub Principibus persequentibus libere uti potuerat utriusque gladii potestate, quam a Christo Domino acceperat, & quam deinde sub Principibus obsequentibus æquo jure semper in contumaces, atque rebelles exercuit.

e *Et per diversa varios populos congregarent*. Scilicet *loca*, ut bene exposuit Gale: *non in diversis sectis, atque sententiis, diversos cogerent cœtus*; ut aliqui explicant apud Cuperum, qui eorum respuens suppresso nomine expositionem, *Malim* inquit *reddere, in diversis locis*. Etiam Christophorsonus Eusebium sic interpretatus est: *tum in variis locis varios hominum conventus cogere vellet*: sed neque in Græca Eusebii versione substantivum reperies ἐν διαφόροις.

3. Denique quum ejusmodi nostra jussio exstitisset, ut ad veterum se instituta con-

ferrent [a]; multi periculo subjugati [b], multi etiam deturbati sunt [c].

a *Ut ad veterum se instituta conferrent* Scilicet Ethnicorum, ut superius exposuimus, & quemadmodum verba illa ejusdem decreti suadent: *nos quidem volueramus ante hac juxta leges veteres, & publicam disciplinam Romanorum, cuncta corrigere* &c.

b *Multi periculo subjugati*: subintellige *sunt*, & ii a Nostris *Lapsi* appellabantur, de quibus sæpe apud Cyprianum, & Augustinum mentio fit.

c *Multi etiam deturbati sunt*. Et hi Martyres fuere, quorum acta, non solum Eusebius, Metaphrastes, Surius, Lipomanus, & qui Martyrologia scripserunt, exhibent eo quo reperta sunt modo; sed potissimum a Bollandianis Patribus, & a Ruinarto, qui egregie sincera ab apocryphis, atque suspectis separata ediderunt, strenueque contra obtrectatores vindicarunt.

4. Atque quum plurimi [a] in proposito perseverarent, ac videremus, nec Diis eosdem cultum, ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum DEUM observare [b]; contemplatione mitissimæ nostræ clementiæ intuentes, & consuetudinem [c] sempiternam, qua

a *Atque quum plurimi*: Gale corrigit: *Atqui*: Non male, quamvis Eusebius habeat Καὶ:

b *Nec Christianorum Deum observare*: Quia nimirum gravissimis legibus id vetitum erat, dirutis ab imo omnibus sacris ædibus, atque occisis, seu dispersis Ecclesiarum Pastoribus; neque heic hæresibus ut Cupero placuit, locus dandus est, quum clara sint edicti verba, quæ de iis mentionem faciunt, qui in proposito perseverarent, non exhibendi cultum Diis mendacibus; & ex Origen. Lib. IV. contra Celsum, & ex omnibus aliis, qui pro veteribus Christianis apologias scripserunt, constet, quot calumniarum plaustris in eos tunc inveherent Hebræi simul, & Ethnici. Vide Mamachium Lib. I. *Orig. & Antiq. Christ. Cap. III.*

qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram [d] credidimus [e] porrigendam; ut denuo sint Christiani [f], & conventicula sua componant [g], ita ut ne quid contra disciplinam agant [h].

N 4 Alia

c *Contemplatione mitissimæ nostræ clementiæ intuentes, consuetudinem*: Sic legendum puto pro eo, quod in Ms. habentur *contemplationem . . . . &*. Alias quippe sensus non constat. Lact. lib. IV. cap. 13. *tantarum virtutum contemplatione* &c. Sanct. Cyprianus Epist. lib. IV. *quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placere* &c.

d *Indulgentiam nostram*: Mitem, ac benignam permissionem. Vide *de Opi f XX. I. & heic xxxv. seg.4.*

e *Credidimus* In Ms. *tredimus*.

f *Ut denuo sint Christiani*. Mos quippe Ethnicorum fuit, Imperatores suos hisce verbis compellare; *Christiani non sint*: In passione S Savini Episcopi, Martyris, & Firmanæ Urbis nostræ Protectoris, a Baluzio edita Lib. II. Miscel. ex cod. Colbert. sic legitur: *Maximiano Augusto* Herculium intellige An CCCIII. ex Cap. XV. hujus Libri *XV. Kal. Maii in Circo Maximo, Misso Sexto Venetos vincente, pars major Populi clamabant dicentes*; *CHRISTIANI TOLLANTUR, ET VOLUPTAS CONSTET*: *dictum est duodecies. Per caput Augusti*: *CHRISTIANI NON SINT*. Quod a quibusdam subornatis factum esse ad amoliendam concitatæ persecutionis invidiam ab Imperatoribus, ea ostendunt, quæ infra Cap. XXXVI. de Maximino in simili occasione narrantur.

g *Et conventicula sua componant*. Ethnici, qui Idolis suis magnifica Templa, auro, lapidibusque ornata erigebant, Christianorum Ecclesias, ut plurimum hisce temporibus angustas, aut etiam rudi forma ædificatas, *conventicula* appellabant, quasi parvus locus, in quo coadunarentur. Τὸ enim *componant*, locum potius, quam cœtum innuere videtur, ut bene observat Bauldrius ex illo Virgilii Lib. III. æn. V. 387.

Quam tuta possis Urbem componere terra.

Sensus ergo est; datam fuisse facultatem Christianis, ut dirutas Ecclesias iterum construerent; ut latius cap. XLIV. dicemus.

h *Ita ut ne quid contra disciplinam agant*: Scilicet dummodo nihil agant contra disciplinam Romanorum; qui non permiserant Christianis, quum eos tolleraverant, magnifica templa Deo suo erigere, quemadmodum fuerat illud Nicomediense, ab initio persecutionis devastatum. Vel si mavis Tò *Conventicula* de cœtibus fidelium, seu potius de Synodis intelligere, tunc comoda etiam erit explicatio; scilicet; ut ita coadunarentur; ut per eos edocerentur fideles, ne quid contra disciplinam agerent Ecclesiasticam.

5. Alia autem epistola [a] judicibus significaturi sumus [b], quid debeant observare [c]. Unde juxta hanc indulgentiam nostram, debebunt DEUM suum orare pro salute nostra [d], & reipublicæ, ac sua, ut undiqueversum Respublica perstet incolumis [e], & securi vivere in sedibus suis possint [f].

CAP.

a *Alia autem Epistola*: In Ms. *Aliam autem Epistolam*. Sic sæpe in Cod. Bonon. Bun. Forte *per aliam Epistolam*, in qua modus perscribebatur, quo Christiani Conventicula, & cœtus suos construere deberent.

b *Judicibus significaturi sumus*: Christophorsonus, & Valesius ex Græco *significabimus*. Ruffin. *significavimus*; sed forte *V.* pro *B.* ut sæpe in Ms. positum est.

c *Quid debeant observare*: Scilicet Judices, ut nonnulli exponunt, quamquam non desint, qui hoc de Christianis intelligant.

d *Deum suum orare pro salute nostra*: Christianos pro Imperatorum incolumitate orasse; Theophylus *ad Autolyc.*, Athenag. in *Leg. pro Christ.*. Tertull. in *Apolog.* ac Scriptores *Act. SS. Martyrum* luculenter testantur. Et quidem secundum Apostolicam Disciplinam, quum in Epist. I. ad *Timoth.* Cap. II. 2. hoc docuerat S. Paulus expresse: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt* &c. Adde Ecclesiarum omnium Liturgias &c.

e *Ut undiqueversum Respublica perstet incolumis* In Ms. *perstetur* Anonym. ex Græco *præstetur*. Lactantius sic sæpe loquitur, ut edidimus.

f *In sedibus suis possint*: Qui ex Græco hunc edictum latine exposuerunt, varie Τὸ *sedibus* explicant: Ruffinus habet *laribus* Christoph. *Familiis* Vales: *domiciliis* At optime *sedibus* quum Ecclesiæ Sedes Episcoporum dicerentur. In Pontifical. Rom. de S. Petro dicitur: *Primum sedit in Cathedram Episcopatus in Antiochia An. VII.* Opt. Milevit. Lib. I. Cap. X. de Schism. Donat: *Cujus tu Cathedram Sedes*: Et in Epist. Rom. Pontif. passim occurrit: *hac S. Sedes*: *Prima Apostolica Sedes Romana Sedes* &c.

CAPUT XXXV.

1. HOc edictum proponitur Nicomediæ [a] pridie Kalendas Majas, ipso octies, & Maximino iterum consulibus [b].

a *Proponitur Nicomedia pridie Kal. majas*: Non tamen credas ibidem tunc Imperatorem Galerium ægrotasse, nam Anonym. Vales. p. 472. ait: *Deinde illo* (scilicet Licinio) *in Pannonia relicto, ipse* (nempe Galerius) *ad Sardicam regressus, morbo ingenti occupatus* &c. Vide Tab. Chron. diss. XXII. sæpe jam judicatam.

b *Ipso octies, & Maximino iterum Consulibus.* Hinc confirmo quod Cap. præcedenti dixi de variatione tituli edicto præposit. In neutra enim lectione legitur *Maximinus Cos.* In Ms. *Maximiano* ex Nourrio & *Ipsa* pro *Ipso* ex Anonym.

2. Tunc apertis carceribus [a], Donate carissime, cum ceteris Confessoribus e custodia

a *Tunc apertis carceribus*: Ruffin. Lib. IX. Cap. I. *Judices vero per singulas civitates edicta mittentes, legemque proferentes, relaxari cunctos, qui tenebantur in Carcere, quique in metallis, aut quibuslibet vinculis asservabantur, omnes abscedere liberos jubent.*

dia [b] liberatus es, quum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit [c].

b *E Custodita*: In Ms. ex Langletio & *custodia*.
c *Quum tibi Carcer sex annis pro domicilio fuerit*. Vide Cap. XVI.

3. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit [a] a DEO; sed post dies paucos, commendatis Licinio [b] conjuge sua [c], & filio [d], atque in manu traditis [e]; quum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est [f].

a *Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit*: In pluribus ergo erravit Eutychius *Lib. XI. Annalium*, hanc scribens historiam, præsertim quum asseruit, Galerium precibus Christianorum convaluisse ex morbo gravissimo, quo laborabat, quum, sicuti mox Lactantius tradit, post paucos dies horrenda tabe consumptus sit.
b *Commendatis Licinio*. Licinius, tunc Augustus, ex Pannonia, ubi sedem fixerat, Sardicam in Illyrico se contulit. certior factus de imminente Galerii exitu.
c *Conjuge sua*. Scilicet Valeria Diocletiani filia, de qua superius Cap. xv., & infra Cap. XXXIX. L., & LI. dicturi sumus non pauca.
d *Et filio*: Nempe adoptivo, cui nomen erat Candidianus, Galerio ex concubina genitus, & a Valeria sterili adoptatus, de quo superius cap. xx, & infra cap. L.
e *In manu traditis*: Gale, & Tollius legunt *in manum*: cap. xxiv. *per manus tradidit*.
f *Consumptus est*. Tedio victum, ac desperatione sibi manus intulisse Galerium, Ruffinus, & Orosius tradiderunt, quod verum esse, negat Baluzius.

4. Idque cognitum Nicomediæ idibus mensis ejusdem [a], quum futura essent vicennalia

nalia, Kalendis Martiis [b] impendentibus.

a *Idque cognitum Nicomediæ mensis ejusdem*. Lectio ista mutila est, ut vides, ideoque Baluzius curis secundis quibusdam interjectis punctis defectum indicavit, quem alii suppleverunt additis vocibus *medio*: *Idibus*: *sub finem*: *in fine* Anonym. deinde Codice inspecto ait: *Nicomediæ mensis* &c. *sic Ms. sine lacuna quæ dicebatur esse in verbo Nicomediæ credo tamen vocem MEDIO adhuc requiri, quæ in voce Nicomediæ perdiderat descriptor Codicis: lege igitur: IDQUE COGNITUM NICOMEDIÆ MEDIO MENSIS* &c. Sed Langletius iterum inspecto codice legit: *Idque cognitum Nicomediæ Id. mensis ejusdem*: asserens, in Ms. esse vacuum duarum dumtaxat litterarum spatium, quod nullam aliam vocem capiat quam *Id.* pro Idibus. Vide Lector quam male Codicum descriptoribus fidamus.

b *Kalendis Martiis*. Vide Tabul. Chron. diss. XXII. cap. II. §. VIII.

CAPUT XXXVI.

1. QUo nuntio Maximinus [a] audito, dispositis ab oriente cursibus [b] pervolavit, ut provincias occuparet; ac Licinio morante [c], omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium [d] vindicaret; ingressusque Bi-

a *Maximinus*: In Ms. more solito: *Maximianus*.

b *Dispositis ab Oriente cursibus*: Syriam, & Ægyptum hactenus Maximinus calcandas potius quam regendas occupaverat; auditaque Galerii morte, statim in Bithyniam venit perpeti, ac irrequieto cursu, ut Provincias à Galerio relictas usque ad fretum Chalcedonium sibi vindicaret.

c *Licinio morante*. Al. absente, quum se Sardicam contulisset, quæ in Illyrico sita est.

d *Ad fretum Chalcedonium*. In

Bithyniam, quo sibi ad præsens *f* favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustollit censum *g*.

In Ms. *ad fretum Chalcedonium* ex Anonym. Ab Geographis, Bosphorum Thracium appellatum. Est enim mediterranei maris angustia, quæ jacet Byzanzium inter, & Chalcedonem, Europam ab Asia, spatio quatuor stadiorum disterminans, ferturque Gallorum cantus, & Canum latratus utrimque exaudiri.

e *Ingressusque Bithyniam*. In Ms. *Bbianiam*.

f *Ad præsens*. Scilicet *statim*: *ex templo*: *illico*. Lactantius sæpe, more Græcorum sine substantivo hoc loquendi genere usus est; ter scilicet lib. VII., nimirum cap. VI., X., & XV., & lib. *de Ira Dei* cap. XXII. *ad præsens noxium quemque punit*.

g *Sustollit censum*. A Galerio impositum, de quo superius cap. XXXI. egimus. Editi aliqui: *sustulit*.

2. Discordia inter ambos Imperatores *a*, ac pene bellum. Diversas ripas armati tenebant *b*: sed conditionibus certis pax, & amicitia *c* componitur, & in ipso freto foedus fit, ac dexteræ copulantur.

Re-

a *Discordia inter ambos Imperatores*. Scilicet *oritur*. In Ms. *discordiam inter* &c. Hinc Anonym. legit: *discordia jam inter* &c. Melius vero Tollius: *discordia inde*. Intellige *Licinium inter*, & *Maximinum*.

b *Diversas ripas armati tenebant*. Maximinus scilicet in parte Bithyniæ, Licinius ex parte Byzanzii, quo & ipse ex Illyrico statim accessit.

c *Sed conditionibus certis pax, & amicitia* &c. Nimirum tunc factum conditionibus hisce credit Baluzius, ut Bithynia in jus, ac ditionem Maximini veniret, idque eruit ex Martyrio S. Luciani Antiocheni, apud Eusob. lib. IX. cap. VI. Imo tunc ex duabus Regionibus, quarum illa ad Ortum solis sita, *Pontus*; illa vero, quæ ad occa-

occasum, Bithynia vocabatur, postmodum sub una Provincia censæ sunt, cujus termini fuerunt; ab ortu Galatia, a Meridie Asia minor, ab occasu Propontis, a Septentrione Mare Ponticum.

3. Redit ille securus [a], & fit, qualis in Syria, & in Ægypto fuit [b]. In primis indulgentiam Christianis [c] communi tutelo [d] datam tollit, subornatis legationibus civitatum [e], quæ peterent, ne intra civitates suas

---

a *Redit ille securus*. Scilicet Maximinus in Orientem, rebus pro hac nova Provincia administranda dispositis.

b *Et fit qualis in Syria, & in Ægypto fuit*. Quis? Maximus ne, an Persecutio? Puto hoc secundum verbum excidisse ob ea, quæ statim sequuntur, ad significandum in locis, quæ ad Maximini potestatem in Occidente nuper venerant, numquam re vera extinctam fuisse persecutionem, quamvis aliquandiu sopita videretur: sicuti in Ægypto & Syria contigerat; nam teste Eusebio lib. IX. hist. Eccl. cap. I. quamvis Maximinus, vivente Galerio, ausus non fuerit edicto ejus refragari; illud tamen ægre tulit, & statim ac ille mortuus est, persecutionem iterum malis artibus suscitavit, ut mox ex Lactantio visuri sumus.

c *Indulgentiam Christianis*. Vide ad cap. XXXIV. seg 4.

d *Communi tutelo*. Du-Cangius, Cuperus, Vossius, aliique legunt: *Titulo*, quam lectionem non amplectendam censeo, quia, ut notavi ad cap. XXXIV. in nullo sive Ms. Codice, sive edito Eusebii libro, Maximini nomine Edicti titulus insigniri fas sit, vel ergo ex Bauldrio legendum est: *cum muri tutela*: vel ex Nourrio: *communi tutela*. Ita tamen, ut sensus sit. Maximinum abstulisse indulgentiam Christianis datam a Galerio pro sua, totiusque Imperii, atque omnium Imperatorum tutela, quod indicari videtur ab illis edicti verbis: *unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, & Reipublicæ, ac sua, ut undiqueversum Respublica perstet* &c.

e *Subornatis legationibus Civitatum*. Ne scilicet ipse author

suas Christianis conventicula extruere liceret f; ut quasi coactus, & impulsus g facere videretur, quod erat sponte facturus.

author tunc persecutionis videretur, sicuti quum hæc eadem persecutio primum mota est, actum fuisse, vidimus.

f *Ne intra Civitates suas Christianis conventicula extruere liceret*. In Ms. *licere* ex Anonym. Certum est ante Diocletianeam persecutionem, Christianos templa intra urbes, saltem alicubi habuisse magnifica, ut ex iis, quæ superius ad caput XII. diximus liquet; quamvis persecutione gliscente vix ædiculas haberent, sacris suis operandis destinatas, quemadmodum cap. XXXV. observavimus. Non solum ergo Templa, ac magnifica ædificia intra urbium suarum mœnia noluisse dicuntur civitates illæ, quarum legationes subornatæ erant; sed neque Conventicula, quæ ut ædificari possent, facultatem fecerat Galerius.

g *Ut quasi coactus, & impulsus* &c. In Ms. ex Langletio, & Nourrio *ut suasu coactus* &c. Ruffinus lib. IX. cap. II. narrat, ad hoc facinus perpetrandum non solum adhibitos ab Imperatore fuisse quosdam Antiochenses; sed & alios *per singulas Civitates deterrimos Cives*.

4. Quibus annuens, novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos a ex primoribus fecit b; qui & sacrificia per omnes

a *Novo more Sacerdotes maximos per singulas Civitates singulos fecit*. Quamvis a Romuli, Numæque Pompili temporibus Romani, & jam pridem ante eos Græci quamdam Hierarchiæ speciem haberent; numquam tamen in singulis civitatibus Sacerdos, sive Pontifex Maximinus ante hæc tempora reperitur, ideoque hanc Maximini institutionem novum morem vocat Lactantius. Vide Valesium ad Euseb. lib. VIII. cap. XIV., & lib. IX. cap. IV.

b *Ex primoribus fecit*. Etiam Romolus Sacerdotes ex primoribus, nullo natalium, membrorum, morumve defectu notatos, nec annis quinquaginta minores, deligi debere statuerat; quamvis Gneo Domitio Tribuno primum, ac deinde secutis temporibus lex ista fuerit non parum immutata.

omnes Deos suos [c] quotidie facerent, & veterum sacerdotum ministerio subnixi [d], darent operam, ut Christiani [e] neque fabricarent, neque publice, aut privatim colerent [f]; sed comprehensos, suo jure ad sacrificia cogerent, vel judicibus offerrent.

c *Per omnes Deos suos*. Grævius omnino legendum esse censuit; *per omnes dies Diis suis cotidie fecerent*, sed vide, quæ ad similem dictionem notavimus cap. XVII. *per omnes Deos pro vita ejus rogaretur*.

d *Ministerio subnixi*. In Ms. *subnexi*: ex Langletio; Gale legit: *magisterio*.

e *Ut Christiani*. Tò *ut* deest in Ms. ex Nourrio. Gale legit: *darent operam, ne quid Christiani fabricarent*.

f *Aut privatim colerent*. Idem Gale prætulit *coirent*.

5. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret, & eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere [a]. Fa-

a *Et eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere*. Id est, tam Sacerdos Maximus singulis civitatibus præpositus, quam ille, qui in una quaque provincia hisce civitatum Sacerdotibus præsidebat, Donati, atque insigniti sunt chlamyde candida a Maximino, honoris, atque distinctionis gratia. Mos iste Gothicus fuit usque a Philippi Macedonis temporibus; siquidem Jornanand. de rebus Gothicis loquens narrat, Gothorum Sacerdotes Philippi Macedonis, valida manu Mæsiam aggressi, iram placasse, patefactis Oppidi portis, ac cum citharis & candido ornatu obviam Regi egredientes; nec novum erat, Sacerdotes apud Romanos albis vestibus incedere, quum neque aliquis posset non albatus Sacris interesse si a Diis quidquam impetrare volebat, unde Porphyr. lib. IV. cap. XIX. ait: *pura cum veste venite*. Et Horatius lib. II. Serm. Sat. II. ℣. 60.

. . . . *Natales,*
aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Et Tibull. lib. II. Eleg. I.

Cernite fulgentes, ut eat
Sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comes.

Id tamen inusitatum in hac Maximini institutione esse videtur, quod Chlamys, quæ Paludamenti regalis, ac militaris genus erat, coloris purpurei; vestis alba & Sacerdotum propria fieret. Ovidius enim lib. XIV. Metam. F. VII. extr. de Pico Rege loquens ait:

Purpureum Chlamydys pennæ traxere colorem.
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat, aurum,
Pluma fit.

In humero dextro, fibula, aut nodo colligebatur, ut ex statuis bene colligit Ferrarius lib. VII. *de re Vestiar.*, & errasse puto Valtrinum quum lib. X. *de re Mil. t.* scripsit: *Palaudamentum in sinistro humero fuisse colligatum*, impeditum enim sic bracchium dexterum remansisset.

6. Facere autem parabat, quæ jam dudum in orientis partibus fecerat [a]. Nam quum clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos DEI vetuit [b], debilitari jussit [c]. Ita-

a *Qua jam dudum in Orientis partibus.* Sic in Ms. ex Nourrio, Langletio, & Anonym. non autem ex Baluzio, qui secundam, & tertiam vocem in prima editione omisit. Lucianus *de Dea Syria* §. LII. huic istoriæ lucem affert: ait enim, *me quidem præsente, trecentis plures ad sacrificandum accedebant. Vestimenta illis omnia candida; pileum gestant in capite: Sacerdos summus singulis annis novus succeat: purpura hic solus indutus est, tiara redimitus aurea.* Sicuti ergo in Oriente colorem vestibus summi Sacerdotis immutaverat Maximinus; ita in occidente idem fieri jussit.

b *Occidi servos Dei vetuit.* Bauldrius suspicatur, scriptum fuisse: *occidi ibi servos Dei vetuit*: scilicet *in partibus Orientis*, & quidem post Galerii edictum.

c *Debilitari jussit.* Vide Eusebium lib. VIII. cap. XII., & lib. I. *de Vit. Constantini* cap. LVIII. ubi, ut bene vidit Baluzius, in interpretatione Valesii irrepsit *Licinii* nomen pro *Maximini*.

7. Itaque confessoribus effodiebantur oculi [a], amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares, vel auriculæ desecabantur.

---

a *Effodiebantur oculi*. Martyribus ad metalla damnatis dexterum oculum effossum, & sinistri pedis nervos præcisos fuisse, eorum acta testantur; & Euseb. Hist. Eccl. lib. VIII. cap. XXIV. ait: *Ista enim apud illos mitia admodum cruciamenta, atque levissima supplicia, quibus nos torquerent, videbantur; adeo ut dicendo explicare non possimus innumerabilem fere multitudinem eorum, quorum ob istam impiorum mansuetudinem non solum oculi dextri sicis ante eruti fuerunt, & excisi, quibus evulsis, loca, in quibus inerant, ferro candente exusserunt; sed lævi pedes etiam in ipsis flexuræ commisuris cauterio ambusti fuerunt, & prorsus debilitati: ac postea ad metalla in singulis provinciis, non tam ministerii caussa, quam afflixionis, & cruciatus condemnati* &c.

CAPUT XXXVII.

1. HÆc ille moliens, Constantini litteris deterretur [a]: dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occulte mergebatur [b]. Consuetudinem quoque suam non

---

a *Constantini litteris deterretur*. Eusebius lib. IX. Hist. Eccl. cap. VIII. versionis Christoph. de his Constantini litteris mentionem facit, post relatam epistolam a Maximino datam ad Sabinum Præfectum, ad quam te, Lector, remitto, quia ea, quæ ibidem narrantur, satis prolixa sunt, & ut legantur dignissima, ad hæc omnia illustranda.

b *Mari occulte mergebatur*. Nec raros nec paucos, nec uno, simplicique modo Fideles hoc mortis genere occidit

intermisit, ut in palatio per singulos dies sacrificaretur.

dit Maximinus. Aliquos enim ingentibus saxis, aut plumbi massa, ad collum, vel, ad pedes, aut ad dexteram alligatis, demersit. Alios ligatis manibus, pedibusque, quosdam retibus involutos, plumbeis loculis vivos inclusos, seu culeo, parricidarum more insutos, præcipites in altum pelagus, dari jussit, nec ii pauci fuere, quos in fractis, cariosisque navigiis impositos, pelago commisit. Vide infra cap. L.

2. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus vescebatur [a], non a coquis [b], sed a secerdotibus ad aras immolarentur; nihilque prorsus mensæ apponeretur, nisi aut delibatum [c], aut sacrificatum [d], aut perfusum mero [e]; ut quisquis ad cœnam vocatus esset,

a *Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus vescebatur* &c. Ipse scilicet; alios enim ad idolothyta commedenda adactos fuisse etiam antea, superius cap. XV. vidimus.

b *Non a coquis*. In Ms. *non a quovis*. Hoc esse puto, quod Maximinus primus invenisse dicitur.

c *Aut delibatum*. Idem ac *libatum*; id est Diis in epulis oblatum. Tibullus lib. I. Eleg. I.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

Et Gellius lib. II. cap. VII. *Solenni die Jovi epulum libaretur*.

d *Aut Sacrificatum*. Nimirum id, quod ex victimis, ante Deorum aras mactatis, sibi Sacerdotes reservabant. Hoc non solum apud Ethnicos; sed etiam apud Hebræos Dei præcepto fieri consueverat. Vide Levitic. cap. II. ℣. 3. cap. VIII. ℣. 6. Numer. cap. XVIII. ℣. 8.

e *Aut perfusum mero*. Antequam Sacerdos securi hostiam feriret vino caput ejus perfundebat ille, pro quo offerebatur; ideoque apud Virgilium lib. IV. Ænead. ℣. 69.

esset, inquinatus, atque impurus exiret *f*.

Ipsa tenens dextera pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.
Et Ovidius lib. I. Fastor.]
Rode caper vitem, tamen hinc quum stabis ad aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Hunc Ethnicorum ritum spectandum præbent nummi, & Marmora. Vide apud Gruterum lib. XI. cap. XIV. *de Jur. Pontif.* & Lact. lib. VI. cap. I.

f *Inquinatus inde, aut impurus abiret.* De Idolothytis jam superius diximus ad cap. XI. Tò *Inde* deest in quibusdam editis.

3. In cæteris quoque magistri sui similis *a*. Nam si quid reliqui vel Diocles, vel Maximianus reliquerunt; hic abrasit *b*, sine ullo pudore auferens omnia.

---

a *In cæteris quoque Magistri sui similis.* Scilicet Galerio. Aliqui mallent: *Magistris suis*, nempe Diocletiano, & Maximiano utroque; statim enim nomina subdit eorum, quasi reddens de similitudine inter eos rationem.

b *Nam si quid reliqui Diocles, vel Maximianus reliquerunt; heic abrasit.* Anonym. pro *reliquerunt*, mallet *fecerunt*. Nourrius Tò *reliqui* delendum, ut superfluum, censet. Bunem. autem lectionem Ms. propugnat ex Plaut. *Cistel. Act. V. fin. Quid ad nos reliquum relinquitur?* Et quidem optime propter ea, quæ statim subduntur; nam ab impietate Sacrificiorum, & libaminum, quibus invitatos a se, polluere gestiebat Maximinus, fit heic transitus ad avaritiam, qua omnes isti Tyranni orbem Romanum ita depopulati sunt, ut si unus quicquam reliquerat, alius implacabiliter auferret.

4. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obsignabantur *a*, debita in

 futu-

futuros annos exigebantur [b]. Hinc fames, agris non ferentibus [c]; hinc caritas inaudita.

a *Horrea privatorum claudebantur, apotheca obsignabantur* &c. Gerardus Jo. Vossius in *Etymol. V.* Taberna ait; *differunt plurimum officina, apotheca, taberna* heic tamen, *Horrea* frumenti repositoria sunt; vini vero *apotheca*; quemadmodum enim cap.XXXI. sub Galerio nulla fuisse dicitur area sine exactore, nulla vindemia sine custode; ita heic sub Maximino, si quæ servata erant in horreis, aut in Apothecis, pro Imperatore servabantur. De vocibus *Apotheca*, & *Horreum* pro rebus ad cibum, & potum deservientibus, quoquomodo servandis, vide Horat. lib.II. Serm. Sat.V. Plin. lib II. cap.CXXX. Columel. lib.I. cap VI. n.9., & 20. Cave tamen putes, vina quæcumque in horreis, sive in apothecis, promiscue sumptis, ab antiquis servata fuisse; nam & ipsi Cellas vinarias habebant, & Dolia, & cætera omnia, quibus nunc utimur; sed quum in multos annos vinum a divitibus recondebatur, tunc solummodo, cadis fictilibus, probe conclusis, non procul a vaporario, sive in horreis, sive in apothecis collocabatur; unde Horatius lib. III. Carm. Od. XXVIII. ait;

Parcis diripere horreo
Cessantem Bibuli Consulis amphorum

& lib.IV. Od.XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis.

b *Debita in futuros annos exigebantur*. Scilicet tributa anticipata.

c *Hinc fames agris non ferentibus*. In Ms. *famis agris ferentibus*. Anonym. corrigit: *fames agris feriantibus*. Al. nihil mutando intelligunt, famem pati, etsi satis arva darent annonæ, necesse tunc ex anticipatis tributis fuisse. Alii corrigunt: *Agricolis non ferentibus*. Al. demum: *fames acris afferentibus*. Al. *fames agris ferentibus*.

5. Armentorum, ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana, quibus eos adeo corruperat [a], ut aspernarentur an-

annonam [b]. Et effundebat [c] passim sine delectu, sine modo, quum satellites universos [d], quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus, & aureis nummis expungeret [e], gregariis [f], & tironibus [g] argentum daret, barbaros omni genere largitionis [h] honoraret.

O 3 Nam

a *Quibus eas adeo corruperat*: Ex sequentibus quidam locum hunc sanare tentant legendo: *quibus suas* &c. quamvis non corruptum in voce *eos*; sed mutilum esse potius credam. Langletius legit; *Quibus Aulicos* &c.

b *Ut aspernarentur annonam*. Scilicet frumentariam, quæ militibus, & Palatinis dari consueverat.

c *Et effundebat*: Al. *&* *effunderent*; Bauldrius: *Aes effundebat*. Scilicet Maximinus: quæ lectio mihi semper placuit propter ea, quæ statim sequuntur.

d *Quum lices universos*. Lege quum *milites*, seu *Satellites*.

e *Et aureis nummis expungeret*. Al. *excoloret*. Al. *emungeret*. Al. *expingeret*: Equidem nihil muto præter numerum; intelligendo, Maximinum Militibus vestes, & aureos nummos sine modo, & sine delectu, passim dedisse, quum eos vel propter senium, vel ob impleta jam stipendia, vel ob quamcumque aliam caussam militia solvebat, & ex albo expungi mandabat: Italis *Ben servita*, quod est munus in dimissione dari solitum. Bello enim confecto dimittebantur milites, & tria erant missionis genera, scilicet *honesta*, *Caussaria*, & *ignominiosa*. Prima dimittebantur qui secundum Plutarchum *in Gracch.* decem: secundum Polybium *Lib. I. Annal.* viginti annis militaverant. Secunda quum quocumque corporis vitio, aut nimia debilitate, arma tractare non poterant; tertia demum ob crimen, seu ignaviam. Vide Valtrinum *de Re milit. Roman.* lib XIII. §. II. & Baldas: Ajalam Lib. III. Cap. VI.

f *Gregariis*: Milites erant, qui non ex delectu habito; sed tumultuarie colligigebantur.

g *Tyronibus*: Qui primâ militiæ rudimenta addiscebant.

h *Barbaros omni genere largitionis*: In Ms. *largitionibus*, quæ lectio servanda est, addendo post Barbaros Tò *ex* ut sensus sit: *Barbaros ex omni*

ni gerere scilicet adscitos : *largitionibus honoraret* . Hac enim arte eos , aliosque sibi conciliare gestiebat , ut , si quando opus esset , illos facile revocare posset ad arma sumenda . Extat apud Gruterum p. DXXIV. num. 7. inscriptio Gallica huic illustrandæ opinioni aptissima.

D. M. ET MEMORIÆ . ÆTERNÆ . ATTONI . CONSTANTIS. VET. LEG.XXII. REMISSUS. HONESTA. MISSIONE. CASTRIS. INTER. CETEROS. CONVETERANOS. SUOS. REVOCATUS . QUOQUE. BELLO INTERFECTUS. OBIIT. &c.

Ruffinus Lib. VIII. Cap. XVII. Sic de Maximino ait : *Unde & montes auri , ut ita dixerim , congregatos familiaribus suis , ac Satellitibus largiebatur.*

6. Nam quod viventium bona vel auferebat , vel dono suis dabat , prout quisque petierat [a] aliena, nescio an agendas illi fuisse gratias putem , quod more clementium latronum [b] incruenta spolia detrahebat .

CAP.

a *Prout quisque petierat* : In Ms. Prima vox abest , & pro ea legitur : *dabatur quisque* ; Hinc Anonym. legit *dono suis dabat , ut quisque petierat , aliena* .

b *More clementium latronum* : Ironia , Lactantii genio valde accomoda a Cicero Philip. II. *Quod est aliud beneficium latronum , nisi ut commemorare possint , iis se dedisse vitam , quibus non ademerint* . Nuper legimus in Epigrammate italico : Vulgo *Sonetto* , cujus tamen Author latet : . . . . E questa è pace ? Una tal pace .

Anche i Ladroni ai passaggier la danno .

CAPUT XXXVIII.

1. ILlud vero capitale [a] ei, & supra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, (quid dicam, nescio) nisi, cœca, & effræna-ta; & tamen his verbis mens exprimere pro indignatione sua non potest [b] : vincit officium linguæ sceleris magnitudo [c] .

---

a *Illud vero capitale &* &c. In Ms. *capitali* : Satis incomoda, & longe petita correctione hunc locum aggressus est Heumannus in appendice ad Lact. Symp. pag. 238. 242. & in suis ad hunc libellum notis p. 990.; sed longe facilius, ac congruentius mendum sustulerat Bauldrius legendo, ac distinguendo hoc modo: *Illud vero capitale ei supra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, (quid dicam nescio) nisi, cœca, & effrænata*. Vel *illud vero capitale ei, & supra* &c. nam pro: *Capitale ei, &* Librarius oscitans scripsisse videtur: *Capitali, &* Lactantius lib. I. cap. x. *Illud vero summæ impietatis* &c. Bunem. legit: *Illud vero Capitale ejus supra omnes qui fuerunt corrumpendi cupiditas* &c. *subintellige fuit*. Bauldrii correctionem approbo, additis parenthesi, & coma post *nisi*, quemadmodum edidi.

b *Et tamen his verbis exprimere pro indignatione sua non potest*. Sic in Ms. quidam editi habent *exprimi*; sed melius alii addunt *mens*, aut *lingua* Lact. lib. VI. cap. XXIII. *Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar?*

c *Vincit officium linguæ sceleris magnitudo*; Sic etiam ibi; ita ut hac elegantissima phrasi, ceu vivis coloribus ingenue adumbratum; tuis se se conspicuum obtutibus exhibet Lactantius noster . Al. legunt: *vincit*: sed nos antiquissimorum Mss. Godicum lectionem servamus.

---

2. Eunuchi, lenones, scrutabantur omnia,

nia. Ubicunque liberalior facies [a] erat, secedendum patribus, ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus fœminis vestes [b], itemque virginibus, & per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detractaverat, in aqua necabatur [c], tamquam majestatis crimen esset [d] sub illo adultero pudicitia.

a *Liberarior facies* In Ms. *liberabilior* ex Anonym.

b *Foeminis vestes* In Ms. *foeminibus juris* ex Anonym.

c *Si detrectaverat, in aqua necabatur*. In Ms *in aquam* ex Anonym. *detractaberat* ex Langletio.

d *Tamquam majestatis crimen esset sub illo adultero pudicitia*. Ultimam vocem Baluzius omisit; At Nourrius & Anony. ex Ms. veram, & integram lectionem restituunt hoc modo: *tamquam majestatis crimen esset sub illo adultero pudicitia*. *Aliqui &c.* Anonym. pro *necabatur*, legit *mergebatur* ex Cap. XV. *Mari mergebantur* & ex Cap XXXVII. *Mari occulte mergebatur*.

3. Aliqui costupratis uxoribus, quas ob castitatem, ac fidem [a] carissimas habebant, quum dolorem ferre non possent, seipsos etiam necaverunt. Sub hoc Monstro pudicitiæ integritas nulla [b], nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat.

Po-

a *Ob castitatem, ac fidem*: In Ms. *castitate, ac fide*: ex Anonym. & Langletio

b *Sub hoc monstro pudicitiæ integritas nulla*: In Ms. *Ministro* Tollius exponit; *id est, Sacerdote per ironiam* Tertullian. *de cultu Foemin. Cap. VII.* ait: *Si qua Sacerdotes pudicitiæ discimini*: Alii vero corrigunt: *sub hoc monstro impudicitiæ*.

4. Postremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset[a]. Ingenuas virgines imminutas [b] servis suis donabat uxores.

a *Prægustator esset* : Per metaphoram hæic Lactantius hocce vocabulum, quod exploratorem cibi, ac potus significat, usurpavit, quemadmodum Cicero in oratione pro Domo sua dixit : *Spurcissimo prægustatori libidinum*. Quid simile vide apud Lact. Lib.I. Cap.xx. Tollius de hoc pessimo more in Africæ extremis partibus, ae in India usitato, mentionem heic facit.

b *Virgines imminutas*; Vide a nobis dicta ad lib.I cap.xt

5. Sed & comites ejus sub tali principe imitabantur [a] ejus exemplum, & civium suorum cubilia impune violabant: quis enim vindicaret? mediocrium filias [b], ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ, quæ rapi non po-

a *Sub tali Principe imitabantur....suorum cubilia* &c. Ex Nourrio In Ms. duo aut tria verba in initio paginæ avulsa sunt. Anonym. lacunam cum hisce litteris repræsentat: *imitabatur.....S.....u.....suorum* &c. subditque: supplerem; *imitabantur*, *stupris suorum cubilia* &c. Langletius legit: *imitabantur hoc exemplum*, *& civium suorum* &c. & sibi propius codicem inspicienti, apparuisse testatur, duas hasce litteras, scilicet *TR*, quas putat esse prima elementa vocis *Tribuni*. Aliorum conjecturas, utpote minus congruas, omitto; & Ruffini Testimonium ex lib.VIII. cap. XVII. cum Baluzio affero: *Delitiis*, *luxu*, *atque omni dissolutionum genere fluitans*, *turpissima suis militibus præbebat exempla*. *Denique quidquid lascive, quidquid petulanter*, *quidquid luxuriose gestum a Rectoribus vel militum*, *vel Provinciarum fuisset*, *inultum cedebat ob Imperatoris exemplum*.

b *Mediocrium vero filias*. Dele Tò *vero*; nam nec ex Ms. est, nec loco congruit.

poterant, in beneficiis petebantur [c]; nec recusari licebat [d], subscribente Imperatore: quin aut pereundum [e] erat, aut habendus gener aliquis barbarus.

c *In beneficiis petebantur*. Nempe pro beneficio, ac munere, ob ea, quæ in servitium Principis gesserant, primarias virgines sibi uxores dari petebant Aulici, milites, & ii, qui Maximinum comitabantur.

d *Recusare licebat*. In Ms. *recusari*.

e *Quin aut pereundum* &c. In Ms. ex Anonym. *aut pedum*.

6. Nam fere nullus stipator in latere ei [a], nisi ex gente eorum [b], qui a Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi [c], Maximiano se tradiderant, malo generis humani, ut illi, barbaram servitutem fugientes [d], in Romanos dominarentur.

a *In latere ei*. In Ms. *in latæ rei*: ex Nourrio.

b *Nisi ex gente eorum*: In Ms. ex Anonym. *& horum*.

c *Qui a Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi*. Postquam Trajanus Imperator perdomitam Daciam in Provinciæ formam redegit, illuc irruperunt Sarmatæ, Gothi, & Hunni ex Germania, qui variam cum Indigenis fortunam experti, ripas Istri aliquandiu tenuerunt; Quum ergo Diocletianus Romæ Vicennalia celebraret, atque secum haberet proceres, milites, ac Primores illius Provinciæ, Gothi ea usi occasione, quandam Daciæ partem occuparunt, pulsis indigenis, qui ad Galerium primum, deinde ad Maximinum, utpote Cives suos se contulerunt, & in Bithynia, ac in Orientis partibus, ubi illi imperabant, sedem fixerunt.

d *Barbaram servitutem fugientes*. Scilicet Gothorum. In Ms. *barbamam* ex Anonymo.

7. His satellitibus [a], & protectoribus cinctus orientem ludibrio habuit [b].

CAP.

a *His satellitibus*. In Ms. ex eodem *satelibus*.
b *Orientem ludibrio habuit*. In Ms. *vidibria*: teste, qui supra. At Langlætius legit cum Nourrio: *indibria*.

CAPUT XXXIX.

1. DEnique quum libidinibus suis hanc legem dedisset [a], ut fas putaret, quicquid concupisset [b]; ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem [c], potuit temperare.

a *Hanc legem dedisset*. Intellige normam, seu Regulam.
b *Concupisset*. Cicero, & Lactantius sic sæpe locuti sunt.
c *Ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat Matrem*. Scilicet Valeria, Diocletiani filia, Galerii uxor, tunc vidua, quam matrem vivo Galerio appellaverat Maximinus, quum Cæsar esset; nam instar filiorum Augustis erant Cæsares, qui eos parentum nomine salutabant.

2. Venerat post obitum Maximiani [a] ad eum Valeria, quum se putaret in partibus ejus tutius moraturam [b]: eo maxime, quod habebat uxorem [c].

Sed

a *Post obitum Maximiani*. Nempe Galerii, viri sui.
b *Quum se putaret in partibus ejus tutius moraturam*. Paullo superius, in fine nimirum cap. xxxv. vidimus, Galerium in extremis agentem, tradidisse hanc suam uxorem, & filium Licinio, eique commendasse; quare ergo tutius Valeria se moraturam putavit apud Maximinum, quam apud Licinium? Infra cap.L. patet responsio, scilicet, quia tam ipsa, quam adoptivus filius ejus Candidianus, & Severianus, Severi

ti Augusti filius, Licinium; *quasi malum, metuentes, cum Maximino esse maluerunt*. Quod quum præ oculis aliqui non haberent, vel pudicitiæ, vel divitiarum dispendia apud Licinium timuisse Valeriam, dixerunt, ut suis locis infra observabimus.

c *Eo maxime quia habebat uxorem*. Hinc Cuperus eruit, Valeriam a Licinio de connubio secum ineundo fuisse compellatam.

3. Sed animal nefarium [a] protinus inardescit [b]. Adhuc in atris vestibus erat [c] mulier [d], nondum luctus tempore impleto [e]: Legatis præ-

a *Sed animal nefarium*. Scilicet Maximinus. Cicero in Pison. *Funestum Animal*. appellat Clodium.

b *Protinus inardescit*. Amore scilicet, ac libidine. Virgil. Æn. VIII. v. 623.

. . . . Qualis quum cærula nubes
Solis inardescit radiis ...

Et Ovid. lib. VII. *Metam* p.235. v. 20.

Ut vidit juvenem specie præsentis inarsit.

c *Adhuc in atris vestibus erat*. Non solum apud Romanos mos erat, funus comitari veste pulla, & atra; sed in ea aliquandiu incedere propinqui defunctorum debebant. Propertius lib. IV. Eleg. VII.

Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lachrymis incaluisse togam?

d *Mulier*. Bauldrius heic ait: *vox nonnunquam contemnentis .... eadem alias non raro irascentis est, ut quum Christus apud Johannem in Evangelio cap. II. com. 4. Matri suæ indignans: Quid mihi, inquit, tecum rei est Mulier?* Sic Mysterium non intelligens Christum Dominum, matremque ejus impie traducit, quasi ad hasce nuptias Magister divinus venisset, ut matres contemnere; atque in eas irasci doceret convivas? Vide ibidem Augustinum, aliosque Interpretes, qui Mysterium nescientibus ostendunt, & temerarii hominis audaciam comprimunt.

e *Nondum luctus tempore impleto*: In Romanis Pandectis mortuo marito annus ad lugendum mulieri viduæ præscribebatur, non tam ob luctum, quam propter periculum turbandi sanguinis. Vix enim absunt a stupri, seu veneficii suspi-

præmiſſis in matrimonio poſtulat *f*, ejecturus uxorem, ſi impetraſſet *g*.

ſuſpicione nimium properatæ viduarum nuptiæ cum iis maxime, quibus familiariter utebantur. Vide Franciſc. Connan: *Lib.* VIII. *Comm I. C. cap.* VII. extr. Annum autem illum, decem ſolummodo menſium fuiſſe, docet Revard. Lib. I. *Varior.* Cap. XX., Quamvis deinde Gratiani, Valentiniani, ac Theodoſii temporibus XII. menſibus terminari, repetitis legibus cautum ſit.

f *Legatis præmiſſis in Matrimonio poſtulat*. In Ms. *Legatis primis*: Quam lectionem neſcio quo jure poſſit excludi, quum valde congruum ſit credere, Galerium non ſtatim acquieviſſe repulſæ; ſed ſecundos, & tertios legatos adhibuiſſe. Servarem ergo Ms. fidem in Tò *primis*, & corrigerem Tò *in Matrimonio* legendo *in Matrimonium*.

g *Ejecturus Uxorem, ſi impetraſſet*. Uxorum duo genera apud Romanos erant, earum nempe, quæ viris per annum integrum ſi adhæſiſſent, in manum, & poteſtatem illorum veniebant, niſi trinoctium intra id tempus ab eis abfuiſſent: & illarum, quæ Matres familias dicebantur: Quamvis autem aliquando nec vir uxorem dimittere, neque uxor virum deſerere potuiſſet, niſi certis ex cauſſis, quas partim ex XII. tabulis, partim ex moribus collectas, partim novo jure conſtitutas, enumerant, atque definiunt Theodoſius, & Valentinianus *L. conſenſu C. de repud. L.* 43. *ff. ad L. Jubil.*, tamen ante eos, vel mutuo conjugum conſenſu, vel alterutrius voluntate, etiam ſine ulla cauſſa matrimonia diſſolvebantur: tantaque morum diſſolutio in hoc fuiſſe dicitur, ut quotannis uxores virum mutarent, atque anni frequentius a Maritorum, quam a Conſulum ſerie, numerarentur; ut ait Senec. lib. *de Benef.* III. cap. XVI. quod per profligatos ſexus ſequioris mores ab Auguſti temporibus invaluiſſe, fertur; imo Juvenalis Satyr. VI. V. 229. ait:

> . . . . *Sic ſiunt octo Mariti,*
> *Quinque per autumnos: titulo res digna Sepulchri:*

Vide Gothof. ad Tab. VI. Plutarch. in Romulo. Val. Max. lib. II. cap. I. &c.

4. Reſpodit illa libere, quæ ſola poterat

rat [a]; primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu [b] agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui [c], patris ejus [d]; deinde illum impie

---

a *Respondit illa libere, qua sola poterat.* Hæc verba arcanam fortasse tegunt Valeriæ fidem, & Religionem, quam prodere ob hanc caussam non debuit.

b *In illo ferali habitu*: In Ms. *fedali*.

c *Tepidis adhuc cineribus Mariti sui*; Solemnis apud Romanos Cadaverum combustio, quæ constructa pyra in modum Aræ è lignis impolitis, ut lex XII. tabul., ac decemviralis jubebat, ita fieri hisce temporibus consueverat, ut conspiciendam eam exhibet numisma heic appositum.



Infra Lignorum struem, stratis cupressi frondibus, croco, pice, oleo, Thure, Myrrha, aliisque aromatibus delibutis, vel etiam supra, cadavera imponebantur, eisque Defuncti Pater, Mater, Uxor, Maritus, affines, atque Amici aversa facie, ut recte eos describit, Lipsius lib. I. *Satur.* cap. VIII., non autem conversa, ut eos delineavit Jacobus Laurus part. II. *Antiq. Rom.* *Tabul.* XII. Epig. XCVII. ignem facibus injiciebant, ventosque roga-

impie facere [e], quod sibi fidam conjugem repudiet [f], idem utique facturus & sibi; postremo nefas esse, illius nominis, ac loci fæminam [g], sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri [h].

---

rogabant, ut aspirare vellent, ac flammas non alere solum, verum quoque animam, quæ hactenus cadaver circumiens, nunc, illo in cineres redacto, ad campos Elysios facili velitatione erat itura, juvarent. Sic funus, ceremoniis quibusdam peractis, lectisque demum cineribus, atque in urnis, seu fictilibus, seu marmoreis, inclusis, sepulcro inferebantur. Quæ ex Suetonio lib. VI. n. 50. Statio lib. VI. Thebad., & potissimum ex Virgil. lib. VI. Æn. a ℣. 214. descripsimus, ut Bauldrii, & Cuperi heic excitatæ difficultates amolirentur.

d *Patris ejus*. Scilicet Galerii, qui Maximinum in Cæsarem cooptaverat.

e *Impie facere*. Scilicet contra pietatem, quæ Parentes respicit, eosque, qui eorum loco colendi sunt. Nec video quare Bauldrius malit *inhumaniter*, vel *crudeliter*.

f *Quod sibi fidam conjugem repudiet*. In Ms. *fidem*: ex Anonym. qui Tò *sibi* delendum putat. Langletius: *fidelem* mallet.

g *Illius nominis, ac loci fæminam*. Scilicet Matrem, & Augustam.

h *Sine more, sine exemplo, maritum alteram experiri*. De more exploratum est, apud omnes, fuisse hoc inusitatum; At de exemplo non item; quamvis enim Cuperus in utramque partem disseruerit; Juliæ tamen exemplum obtrudit Bauldrius, quum hæc *post Severi mortem privigno suo Caracallæ, aut, ut alii malunt: filio* nupserit; sed sane mirandum, quod homo eruditus hujusmodi exemplum, a cordatis omnibus exprobratum, attulerit; Si enim illud aliquid imitandum præseferret, quia ab Augusta, & Augusto editum, quare non idem præstare poterant ejusdem foeminæ conjuratio, & adulteria, ac Severi, mariti sui eorum conscii, tollerantia? Spartianus quippe in Severo hæc narrat: *Domi tamen minus cautus, qui uxorem Juliam, famosam adulteriis tenuit, eamque conjurationis consciam; sed interest scire* ut ejusdem Authoris in Caracalla verbis utar, *quemadmodum Novercam suam Juliam Uxorem duxisse dicatur. Quæ quum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus,*

ninus, vellem, si liceret; respondisse fertur: si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasque eas celebravit, quas si sciret, se leges dare vere solus, probibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit Uxorem, & ad parricidium junxit incestum: Unde merito ab Alexandrinis, teste Herodiano lib. IV. *pessima mulier* vulgo appellabatur *altera Jocasta*:

5. Nunciatur homini [a], quid esset ausa [b], Libido in iram, furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit [c], bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat; ipsam cum matre [d] in exilium relegat, nec in locum certum, sed huc, atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus, adficto adulterio, damnat [e].

a *Nunciatur homini*. Nempe Maximino.

b *Esset ausa. Libido*. In Ms. *esset. Ausa Libido*: ex Anonym.

c *Statim mulierem proscribit*. Scilicet Valeriam Augustam.

d *Ipsam cum Matre*. Valeriæ Augustæ Mater erat Prisca Diocletiani Uxor; sed fortasse repudiata. In Ms. *cum Matrem* ex Anonym.

e *Et amicas ejus afficto adulterio damnat*. Scilicet Valeriæ ob ea, quæ capite sequenti dicemus. In Ms. *afflicto* ex Nourrio.

CAPUT XL.

1. ERat clarissima fœmina [a], cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Va-

a *Erat clarissima Foemina*. Frustra nomen ejus quæsivimus.

Valeria, tanquam matrem alteram, diligebat; cujus consilio negatam sibi suspicabatur [b]. Dat negotium præsidi Eratineo [c], ut eam cum dedecore interficiat.

b *Cujus consilio negatam sibi suspicabatur*. En caussa, quare afficto adulterio, eam occidi jussit Maximinus. In Ms. *suspicatur* ex Nourrio, & Anonym. qui hanc putat lectionem genuinam.

c *Dat negotium Præsidi Eratineo*. In Ms. *erat in eo*. Huic Librario solenne est nomina corrumpere, ut bene Bunem. notavit ex cap. XXXIII. qui putat heic legendum! *Cratino*; quod nomen non raro occurrit. Aut *Flaccino* de quo supra cap. XVI. Columbus ait: Forsitan *Eratino*, ut sit Græcum ἐρατεινὸν quod idem ac ἱμερόεις Heuman. vero *Nomen Præsidis hic quærere noli quæso*, inquit, & de suo substituit *statim*, aut *protinus*; sed vide an legendum sit *Celerino*, de quo infra.

2. Huic aliæ duæ adjunguntur æque nobiles, quarum altera Vestalem famulam, virginem Romæ reliquerat [a], furtive tunc Valeriæ familiaris [b]: altera virum ha-

a *Quarum altera vestalem famulam Virginem Romæ reliquerat*. Pro *famulam* aliqui heic legendum censent *filiam*, quod valde consentaneum videtur.

b *Furtive tunc Valeriæ familiaris*. In Ms. *farrive*. *Tunc Valeriæ* &c. At inquies: quare *furtive familiaris?* Puto, quia ambæ Cristianæ: nec moror, quum audiam virginem vestalem fuisse hanc Valeriæ amicam; nam & Daria, quæ una cum Chrisanto ob susceptam Religionem Christianam Romæ sub Celerino Præfecto, martyrio coronata est, jussu Numeriani, seu ut alii legunt, Valeriani, vestalis & ipsa fuit. Vide Baron. in notis ad Martyr. Rom. VIII. Kal. Novemb. In Ms. sic legitur: *familiearis*. Langletius legit pro *furtive fugitiva*: nec aliquam rationem adducit, quare a Ms. recedat,

buit Senatorem, non minus [c] Augustæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis, ac pudicitiam necabatur [d].

c *Non minus*. Al. legunt *non nihil*; Al. *non nimis*, quod non approbo.

d *Necabatur*. In Ms. *necabantur*.

3. Rapiuntur subito mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium [a]: nec enim quisquam accusator exstabat. Invenitur quidam Judæus [b] ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus adversus insontes mentiatur. Judex æquus, & diligens [c] extra civitatem cum præsidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragædia Nicææ [d].

a *Non ad judicium; sed ad latrocinium*. Cicer. pro Rosc. Amerino iisdem utitur verbis, ut notat heic Bunem., qui Grævium laudat. Sic jure appellatum fuit Conciliabolum Ephesinum an. CCCCXLIX. coactum, in quo Euthyches absolutus, hæresis ejus confirmata, ac Flavianus moribus, doctrinaque insignis, injustissime damnatus. Vide in Collect. Labbeana: *Latrocinium Ephesinum*.

b *Quidam Judæus*. Huic quippe genti semper solenne fuit in judicio contra insontes mentiri. Vide lib. I. Reg. cap. XXI. Act. VI Matth. XXVI. &c.

c *Judex æquus, ac diligens*. Ironice injustum, ac nefarium judicem scite more suo Lactantius sale Ciceroniano perfricat.

d *Nicææ*. Civitas, Concilio Oecunemico contra Arium an. CCCXXV. celebrato sub S. Silvestro R.P., ac Constantino M. Imperatore, notissima, ad Ascaniam paludem jacens, Strabone teste, olim *Antigonia* appellata, hodie vero a Turcis *Isnich*, *Nicor*, & *Nichea* vulgo appellata.

4. Irrogantur tormenta Judæo, dum quæ jus-

jussus [a] clam erat, palam diceret. Hæ, ne loquerentur pugnis a tortoribus coercentur. Innocentes duci jubentur. Fletus, & comploratio non illius tantum mariti [b], qui aderat bene meritæ uxori; sed omnium, quos res indigna, & inaudita contraxerat.

a *Dum quæ jussus.... loqueretur*. In Ms *dumque jussus....., oquerentur*: ex Anonym. qui sic implet lacunam codicis: *dum quæ jussus erat, diceret, hæ ne loquerentur pugnis a tortoribus coercentur*; Nec ullus est, qui melius locum hunc mutilum pristinæ integritati restituerit.

b *Non illius tantum Mariti*. In Ms. *tanti Mariti*.

5. Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo instructi pilo, ense, & sagittis prosequuntur [a]. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad supplicium deductæ.

a *Promoti militari modo instructi velites ac sagitarii prosequuntur*. Plerique omnes, qui annotationes in hunc libellum scripserunt, depravatam hanc lectionem variis modis emendare hactenus tentarunt; sed nullam video dignam Lactantio emendationem dedisse; quamvis sensum fere eundem accomodent singuli verbis substitutis. In Ms. Sic scriptum esse dicitur a Nourrio cap. I. Art. 2. p. 119. suæ primæ dissert. *Promoti militari modo instructibile mens essagittari persequuntur*. Quare legendum puto: *instructi Pilo, ense, & sagittis prosequuntur*. Velites enim hisce armis in aciem venire consueverant, teste Livio lib. XXXVIII. hist. tuæ. *Hic miles parmam tripedalem habens, & in dextera hastas, quibus eminus utitur; gladio Hispaniensi est cinctus. Quod si pede collato pugnandum est, translatis in lævam hostis, gladium stringit*. Vide Diss. II. §. XVIII., & in Append. §. IV. seqq.

6. Jacuissent insepultæ [a], domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia [b] sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur [c]; sed patibulo affixus, aperuit omne mysterium [d], & sub extremo spiritu omnibus, qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

---

a *Jacuissent insepultæ*. In Ms. *jacuissentq*. Id est, ut exponit Anonymus: *jacuissentque*. Vide lib. VII. cap. XVII.

b *Furtiva amicorum misericordia*. Eusebius lib. VIII. cap. XIX. Hist. Eccl. de quodam Tribuno, cui nomen Maxys erat, in persecutione Diocletianæa narrat; tanta immanitate, & rabie in Martyres exarsisse, ut exanimis corporibus sepulturam invideret, & propterea cadavera sub dio, appositis excubitoribus, ne reperentur, feris bestiis voranda exhibuisse; quo autem studio fideles ea redimerent, & sepelirent, acta eorum passim ostendunt.

c *Nec adultero impunitas promissa persolvitur*. Judæus, qui plurimorum flagitiorum reus, adulterium cum matronis illis mentitus fuerat, spe impunitatis promissæ, illam non obtinuit; sed de veris, falsisque criminibus morte justissima pœnas dedit.

d *Aperuit omne Mysterium*. Scilicet, se corruptum ad struendas calumnias adulterii, & matronas illas innocentes occisas fuisse.

CAPUT XLI.

1. AUgusta vero [a] in desertas quasdam Syriæ solitudines relegata, patrem suum

---

a *Augusta vero*. Notandum, Valeriam, Galerii Uxorem, a Lactantio Augustam vocari; non autem Priscam ejus Matrem, quamvis cap. XV. eam Diocletiani Augusti conjugem esse dixisset.

ſuum Diocletianum per occultos nuncios gnarum calamitatis ſuæ fecit [b].

b *Per occultos gnarum calamitatis ſuæ fecit*. In Ms. *per occultos magnarum*. Aliquod verbum heic excidiſſe ſuſpicor puta *per occulos nuncios, ſeu miniſtros*.

2. Mittit ille legatos [a], & rogat, ut ad ſe filiam remittat [b]: nihil proficit. Iterum, ac ſæpius obſecrat: non remittitur.

a *Mittit ille legatos*. Scilicet Diocletianus.
b *Ut ad ſe filiam remittat*. Nota altum de conjuge ſilentium.

3. Poſtremo cognatum ſuum, quemdam militarem, ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum ſuorum admonitum deprecetur [a]. Is quoque imperfecta legatione [b] irritas preces renunciat.

a *Admonitum deprecetur*. In Ms. *deprecatur* ex Nourrio.
b *Imperfecta legatione*. Editi *perfecta legatione*.

CAPUT XLII.

1. EOdemque tempore [a] ſenis Maximiani [b] ſtatuæ Conſtantini juſſu revelleban-

a *Eodemque tempore*. Vide Tabul. Chronol. Diſſ. XXII. cap. II. §. VIII.
b *Senis Maximiani*. Scilicet Herculii, de quo cap. XXX. In Ms. ex Anon. *Senex*.

bantur, & imagines [c], quocumque pictus esset, detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerumque picti erant [d], & imagines simul deponebantur amborum.

c *Statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines.* Quemadmodum Domitiano interfecto factum fuisse vidimus cap. IV.

d *Senes ambo simul plerumque picti erant.* Nempe Diocletianus, & Maximianus Herculius.

2. Itaque quum videret vivus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat [a], duplici ægritudine [b] adfectus, moriendum sibi esse de-

a *Quod nulli umquam Imperatorum acciderat.* Videlicet, sub oculis propriis imagines suas aboleri, ac statuas deponi. Eusebius lib. VIII. hist. Eccl. cap. XXVI. Christophorsono interprete, vivente adhuc Herculio hoc factum fuisse hisce verbis narrasse visus est Baluzio. *Turpissima morte decubuit: Ante quod tempus inscriptiones ad honorem attributæ, statuæque, & alia ejus generis, quæ statui ad ejus gloriam decernebantur; tamquam scelesto, & impio, adempta fuerunt.* Sed Criticus iste nec Græca Eusebia, nec latina Christophorsoni verba intellexisse videtur; nam non est eadem res quæ à Lactantio, & ab Eusebio narratur. Lactantius quippe refert statuarum, atque imaginum Herculii, jam diu erectarum, depositionem ante ejus mortem aliquandiu factam; Eusebius vero non de erectis loquitur; sed de iis, quæ erant erigendæ postquam Herculius purpuram iterum sumpserat Constantino annuente, quum filiam ejus sibi in matrimonio copulaverat. Publici enim honores tunc eis decreti sunt, ut patet ex panegyrico utrique dicto in celebritate nuptiarum ab incerto. Signa tamen hæc honorifica, quum adhuc pararentur, adempta, & impedita fuerunt, ob ejus infandum duplicis proditionis scelus, merita tandem morte punitum.

b. *Duplici ægritudine.* Scilicet ob filiam sibi denegatam, & ob imaginum suarum dejectionem.

decrevit[c]. Jactabat se huc, atque illuc[d], æstuante anima præ dolore, nec cibum capiens[e]. Suspiria, & gemitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio[f] corporis, nunc in lecto, nunc humi.

---

c *Moriendum sibi esse decrevit*. Quasi voluntaria nece mori statuisset, quod quidem tentasse videtur, si non veneno, & laqueo, ut quidam tradunt; saltem fame, & inedia, quum ex Vict. in Epitome habeatur: *Morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem voluntaria*: cui certe Lactantius heic non contradicit.

d *Æstuante anima*. In Ms. *animam* ex Langletio.

e *Nec somnum, nec cibum capiens*. Desperati, ac in se furentis hominis instar; quod in mente captis ex vehementi animi afflixione inusitatum non esse, nuper in physica sua dissertatione ostendit Gaspar Payva Lusitanus, eximius medicinæ Professor, quum actu virum quemdam conterraneum suum hocce morbo laborantem curaret.

f *Suspiria, & lachrymæ, jugis volutatio* &c. Idem paroxysmi in ægroto suo describuntur à laudato Payva, qui eorum caussas sedulo inquirit, easque in nervis adinventas, tam clare, distincteque exponit, ut internum hominem, nulli adhuc plane pervium, penetrasse ad intima primus videatur.

3. Ita viginti annorum felicissimus Imperator[a], ad humilem vitam dejectus a Domino[b], & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ

---

a *Ita viginti annorum felicissimus Imperator*. Scilicet Diocletianus, de cujus Imperii felicitate eum jam deserente, locutus jam superius fuerat Lactantius cap. XVII.

b *Ad humilem vitam dejectus adeo*. Anonym. ex Ms. ubi legitur *A Do* exponit: *à Deo*. Lego *a Domino*:

deductus [c], postremo fame, atque angore confectus est [d].

c *In odium vitæ dejectus.* Istahæc postrema vox, quæ paullo ante præcessit corrupta procul dubio est; ideoque pro ea bene Grævius restituit: *deductus*; Lactantius enim ait lib. II. cap. I. *ad extremam mendicandi necessitatem deductus* &c. & ibidem: *deductus ad cæcitatem.* Al. mallent cum Tollio: *adductus.*

d *Fame, atque angore confectus est.* Vide paullo supra, quæ ex Epitome Victoris de hac ejus morte, quasi voluntaria, recitavimus.

CAPUT XLIII.

1. Unus jam supererat de adversariis DEI [a], cujus nunc exitium, ruinamque subnectam. Quum

a *Unus jam supererat de adversariis Dei.* Quamvis mox Lactantius de Maxentii exitu loquatur, eum tamen inter Ecclesiæ persecutores non recenset; & unus iste, quem superesse dixit, erat Maximinus, de cujus morte infra agit. Maxentius quippe quamvis natura ferus, ac moribus improbus; tamen teste Eusebio lib. VIII. hist. Eccl. cap. XXVI., *in ipso Imperii sui ingressu fidem nostram se amplecti, quo populo Romano placeret, cumque blanditiis deliniret, & assentatione, callide simulavit. Et ea de re illis, qui ejus parebant Imperio, in mandatis dedit, ut persecutionem contra Christianos remitterent* &c. & quidem Romæ primum, ac Italiæ universæ; postmodum Africæ etiam, indulgentia Maxentii, id est libertas ab eo Christianis reddita, ad suæ religionis munera libere exercenda, innotuit, ut testatur Optatus Milevit. *Lib. I. contra Parmenian.* & August. *Lib. ad Donatist. post Collat.* cap. XII. non tamen omnino a persecutione immunis; nam S. Marcellum R. P. in catabulum, ubi mortuus est, ad animalium servitium damnavit, quum nec sacrificare Dæmonibus vellet, neque negare se Episcum esse. Vide *in Lib. Pontif.* ejus vitam, & *Sanct. Mombrit.* in quo *Maximianus* legitur pro *Maxentius*.

2. Quum haberet [a] æmulationem adversus Licinium, quia prælatus ei a Maximiano fuerat [b], licet nuper cum eo amicitiam confirmasset [c]; tamen ut audivit [d], Constantini sororem Licinio esse desponsam [e], existimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari.

a *Quum haberet* &c. Subintellige: *Maximinus*, de quo superius cap. xxxII. dixerat. *Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari voluit.*

b *Quia prælatus ei à Maximiano fuerat.* Vide ubi supra. In Ms. ex Anonym. *qui ad.*

c *Licet nuper cum eo amicitiam confirmasset.* Cap. xxxvI. *conditionibus certis pax, & amicitia componitur, & in ipso freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur.*

d *Tamen ut audivit.* In Ms. *tamen at ut audivit*: ex Anonym.

e *Constantini Sororem Licinio esse desponsam.* Flaviam Valeriam Constantinam, quam ex Theodora, Herculii filia, Constantius Chlorus susceperat, quemque unà cum Constantina, Constantini M. filia, S. Silvester tinxisse dicitur in Ecclesia S. Agnetis extra muros, ab eodem Imperatore ædificata ad preces ejusdem filiæ suæ. Vide Lib. *Pontif. Rom.* in S. Silvestro n. xxI. Hanc Sororem suam Constantinus unice dilexit, in cujus gratiam, Licinio res novas contra eum molienti, vitam donavit, & Arianis adeo favit, ut ipsum Arium ab exilio revocaverit. Vide Theodor. lib. II. hist. Eccl. cap. III. Sozom. lib. II. cap. xxvI. Socr. lib. I. cap. xIx.

3. Et ipse [a] legatos ad urbem misit occulte, societatem Maxentii, atque amicitiam postulans [b]. Scribit etiam familiariter. Reci-

a *Et ipse.* Bauldrius legere mallet: *eo ipso*, vel *hoc ipso*. Vide Eusebium lib. vIII. Hist. Eccl. cap. xIv.

b *Amicitiam postulans.* In Ms. ex Anonym. *postulatam*: qui legendum putat: *postulatum scribit* ex cap. xxvII.

cipiuntur legati benigne; fit amicitia; utriusque imagines simul locantur [c].

c *Utriusque imagines simul locantur*. Quemadmodum cap. præcedenti de imaginibus Diocletiani, ac Maximiani Herculii factum vidimus in publicum pacti fœderis testimonium.

4. Maxentius tanquam divinum auxilium, libenter amplectitur [a]: jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus [b].

a *Tamquam divinum auxilium libenter amplectitur*: Scilicet amicitiam, quam postulaverat Maximinus.

b *Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem Patris sui vindicaturus*: Scilicet Maxentius, Herculii filius suppositus. Eutropius lib. x. *Hist. Rom.* hujus Belli authorem Constantinum facit, non Maxentium: *Quinto tamen*, inquiens, *Constantinus Imperii sui anno, bellum adversus Maxentium civile commovit, copias ejus multis prœliis fudit* &c. Zosimus vero Lib. II. in Maxentium hanc moti Belli caussam regerit, scribens: *Maxentius occasiones gerendi adversus Constantinum belli quærebat, seque dolere propter obitum patris sui simulans, cui mortis caussam Constantinus præbuisset*. Et quidem Eusebius Lib. ix. h. a. cap. ix. Nazarius, & Incertus ille author panegyrici, plurimique recentiores Lactantii, ac Zosimi sententiam confirmant, adduntque, Constantinum plane invitum hanc expeditionem suscepisse; nec nisi post plurima adhibita remedia malis gliscentibus, quorum impediendorum caussa ad bellum committendum cogebatur a Maxentio, qui eo temeritatis processerat, ut Constantini Statuas Romæ positas evertisset, ac improbis, tyrannicis, nefandisque moribus Italiam, Africamque fœdasset.

5. Unde suspicio inciderat; senem illum dete-

deteſtabilem [a] finxiſſe diſcordiam cum filio, ut ad alios ſuccidendos [b] viam ſibi faceret, quibus omnibus ſublatis, ſibi, ac filio totius orbis Imperium vindicaret.

a *Senem illum deteſtabilem.* In Ms. *Senem illum . . . Xtabilem.* Ubi Auonym. aliique legunt: *deteſtabilem*, quum de eo noſter loquens cap. XXX. dixerit: *Vitam deteſtabilem turpi, & ignominioſa morte finivit*: & infra cap. xlix. extrem. *deteſtabili genere mortis*. Græviús legit *inexpiabilem*, ſcilicet *diſcordiam*.

b *Succidendos* In Ms. *ſuccedendos* ex Anonym. & Langletio Heum. *occidendos*.

6. Sed id falſum [a] fuit. Nam id propoſiti habebat, ut & filio, & cæteris exſtinctis, ſe, ac Diocletianum reſtitueret in regnum.

a *Sed id falſum*: Gale corrigit: *Nec id falſum* ſed correctio errorem parit, ut ex ſequentibus, cum quibus minime coeret, ſtatim apparet.

CAPUT XLIV.

1. JAm mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis ſe Maxentius Romæ contineret, quod reſponſum acceperat [a], peri-

a. *Reſponſum acceperat*: Pomponius Laetus in ſuo *hiſt. comp.* hæc ita eleganter de more deſcribit. *Accepto nuncio de Copiis Conſtantini, quæ Italiæ fines tenebant, exercitum educit. Quintus erat annus Imperii Conſtantini, qui multis prœliis Maxentii conatus pleriſque in locis, præſertim in Foro Julii, fudit. Poſtremo, coacto exercitu, intra mœnia urbis ſe continuit Maxentius: & quum nihil unquam geſſerit ſine Mulierculatum reſponſis, conſulit Magam de belli exitu. Illa omnia proſpera vaticinabatur, admonens, ut Cæſis infantibus, prius adverſa Numina placaret* &c.

periturum esse, si extra portas urbis exisset [b]; tamen bellum per idoneos duces [c] gerebatur.

b *Si extra portas urbis exisset*. Incertus Panegyrici author in laudem Constantini § x v. ait: *Ita enim prodigiis, aut metus sui præsagiis monebatur.*

c *Per idoneos duces*. In Ms. *ducere* ex Anonym.

2. Plus virium Maxentio erat [a], quod & patris sui exercitum receperat a Severo, & suum proprium [b] de Mauris, atque Italis nuper extraxerat [c].

a *Plus virium Maxentio erat*. Sic in eodem Panegyrico; & Eusebius ubi supra, innumerabilem fuisse in Maxentii exercitu multitudinem narrant. Zosimus lib. II. hist. diserte tradidit, Constantinum sub signis habuisse nonaginta millia peditum, & equitum octo millia; Maxentium vero centum & septuaginta peditum millia, & decem atque octo millia equitum.

b *Et suum proprium*. Dictio latina, de qua vide ad lib. I. cap. III. seg. 4., & alibi.

c *Nuper extraxerat*. Al. cum Tollio *extruxerat*. Al. cum Gale *construxerat*. Al. cum Anonym. *exauserat* Nihil tamen mutandum arbitror; bene, enim, & latine dicitur; *exercitum extrahere*. Vide Nepotem Cornelium *in Agesilao* cap. III., & in *Eumene* cap. v. & Livium lib. II. *de Bello Punico*, ubi *extrahere* pro *inducere*, ac *sollicitare* usurpavit, inquiens: *Vulgus etiam extrahere ad Consulatum nitebatur*.

3. Dimicatum [a], & Maxentiani milites prævalebant [b]; donec postea confirmato animo

a *Demicatum*. Subintellige *est*, quod verbum exprimendum putavit Heuman. puncto apposito. In Ms. *demetatum* ex Anonym.

b *Maxentiani milites prævalebant*. Heum., & Bunem. aliter hanc historiam ab Eusebio narratam lib IX. cap. IX. h. E. annotant, sed falsum est; Eusebius enim ibidem narrat commissorum præliorum in Italia exitus, non autem, hujus determinati belli initium, de quo heic agit Lactantius.

mo Constantinus, & ad utrumque paratus [c], copias omnes ad urbem propius admovit, & e regione pontis Mulvii [d] consedit.

c *Ad utrumque paratus*. Virgil. lib. II. Æn. ℣. 61.

. . . , *fidens animi, atque in utrumque paratus,*
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Ubi Servius *In* pro *ad* adhibitum fuisse, exponit.

d *E regione pontis Mulvii*. Nourrius ex Ms. *Milii*: Anonym. *Mulũ*. Langletius *Milii*. Vide ad lib. I. cap. xxi. quid de hoc ponte notavimus; *Mulvius*, enim, & Mylvius dictus est, nunc Italis: *Ponte molle* a M. Æmilio Scauro ædificatus, & à Nicolao V. S. R. P. restauratus.

4. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui est A. D. sextum Kalendas Novembris [b], & Quinquennalia terminabantur [b].

a *Quo Maxentius imperium ceperat, qui est A D. Sextum Kalendas Novembris*. Criticorum aliqui quum in Kalendario a Bucherio edito legerint. *V. Kal. Novemb. evictio Tyranni*. *IV. Kalend. adventus Divi*. Suspicati sunt, hunc locum mendosum esse, ac restituendum hoc modo: *a. d. Quintum Kal. Novembris*. Sed ex libello de Præfectis urbis, ubi VI. Kal. Novembris Victo Maxentio, novus Urbis Præfectus creatus fuisse dicitur Annius Anulinus, lectio Ms. Nostri firmata est. Vide Pagium n. XI. Crit. Baron. ad an. CCCVI.

b *Et quinquennalia terminabantur*. Ut Historicos, qui de hac Victoria scripserunt, cum Lactantio nostro componas, necesse est, firmare, Maxentium, anno quinto Imperii sui expleto, quinquennalia celebrasse, quæ per annum integrum, continuaverat, ut in vicennalibus suis Diocletianum fecisse vidimus cap. XVII., & sic eadem die, qua Sexennium sui Imperii complebatur, vita, & Imperio privatus est immanis ille Tyrannus.

5. Commonitus est in quiete Constanti-

nus

nus [a], ut cæleste signum DEI notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut jussus est, & transversa X. littera, summo capite circumflexo [b], Christum in scutis notat [c].

6. Quo

a *Commonitus est in quiete Constantinus*: Antequam Alpes, in Italiam ex Gallia venturus ad expugnandum Maxentium, superasset Constantinus, fulgens in sole, Sanctissimæ Crucis immortale signum viderat cum epigraphe; ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, eoque in labari summa parte imposito, Italiam, à Segusio Romam usque armis semper victricibus à Tyranni dominio eripuerat. Prope Romam, ubi vis totius Maxentiani exercitus, ceu in Arce munitissima, Constantino sub signis advenienti, præstolabatur, instructis in Ponte Mulvio insidiis, & utraque ripa milite multo munita, pugnandum tandem erat. Pridie ergo antequam bellum committeretur in quiete commonitus est Constantinus, ut cæleste illud signum Crucis, quod jamdiu in sole viderat, ac in labaro erexerat, in scutis etiam notaret. Hæc sic exponenda omnino esse ex Eusebio, & Nazario, temporum illorum Scriptoribus, in Diss. xxxv. Cap. iv. §. viii. clarissime ostendimus, ubi de veritate, de forma, de locis, ac temporibus harum visionum ita egimus, ut nulla superesse videatur difficultas, ob quam Protestantes rem adeo testatam, aliqua rationis specie, queant cavillis suis, aut pervertere, aut respuere, aut declinare.

b *Et transversa X litera summo capite circumflexo*. Ingenuam hujus signi figuram illam fuisse arbitror, quam Magni Constantini Statua, è ruinis thermarum ab ipso ædificatarum jampridem eruta, & in Capitolium translata, manu dextera hastæ puræ innixa eo modo præseferebat, quo heic imprimi curavimus; nam sic revera litera X non recta forma, pingitur; sed transversa: & simul summum ejus caput cernitur circumflexum.


CONSTANTINVS AVG

Verum quum Marmoreum hocce simulacrum ex ædibus Capitolinis, Clemente XII. P. O. M. jubente, in novam Lateranensis Ecclesiæ Porticum inlatum Anno MDCCXXXVII. fuerit, audax adolescens Anno Jubilæi MDCCL. in ejusdem brachium conscensus, hastilique summo innixus, id forte, me præsente, decidens in terram detruncatum detulit, & immutatum postmodum in eam formam, qua in ejusdem Imperatoris numismatibus galea ejus insignitur, nunc aspicitur restitutum. Quod inde fortasse factum est, quoniam Eusebius illud describens ait: *Erat enim littera* P *in ipso medio literæ* X, *curiose, & subtiliter inserta*. Quæ tamen verba si cum Eusebianis superioribus, ac cum Lactantianis subsequentibus conferantur; non sibi invicem opponuntur; sed mutuo potius illustrantur. Subdit enim:

c *Christum in scutis notat.* In Ms. habetur: *xp̃o*, Id *est Christo*: Unde hanc lectionem plurimi cum Baluzio servant. Boherellus, malim inquit: *transversam* X. *litteram* &c. Gale vero; *distinguo*, ait, *& transversa* X *littera, summo capite circumflexo, Christo in scutis notat*. At Tollius: *Transversa* X *litera summo capite Christum in scutis* &c. Quoquo modo legas, nihil aliud heic intelligi potest, quam Christi Monogramma Græcis characteribus expressum, quod non aliter fieri, quam a nobis ostensum est, Boronius, Gassendus, & ex iis Cuperus, sæculo Ecclesiæ IV. a fidelibus consuevisse ostendunt. Et quidem non repugnante Eusebio lib. I. *de Vita Constant.* cap. XXV. ubi etsi dicat Christi nomen notatum fuisse ab Imperatore per litteram P. literæ X. curiose insertam ita, ut videatur signum illud huic simile fuisse ☧; nihilominus, ibidem hisce verbis illud describit: *Erat autem tali figura. Hastile oblungum, erectumque, auro undique obductum fuit; quod cornu habebit transversum ad formam Crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis corona affixa* &c. Adde Baron. ad annum CCCXII. a n. XXV. ad XXXII. ubi utramque figuram invenies diversimode effigiatam.

6. Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore [a], pontemque transgreditur. Acies pari fronte

a *Sine Imperatore*. Intellige de Maxentio, qui nondum extra urbem exierat.

b . . . . *Neque his fuga nota neque illis*. Ex Virgil. X. Ænead. v. 757.

fronte concurrit : summa vi utrimque pugnatur : neque his fuga nota , neque illis :

7. Fit in urbe seditio , & dux increpitatur [a] , velut desertor salutis publicæ [b] ; cunctusque repente populus [c] (Circenses enim natali suo edebat) una voce succlamat : Constantinum vinci non posse [d] .

a *Fit in urbe seditio , & dux increpitatur* . Maxentius nempe arguitur , conviciatur , maledicitur . Cæsar. lib. II. *de Bello Gall. Increpitare , atque incusare reliquos Belgas* .

b *Quasi desertor salutis publicæ* . Quia in eo discrimine , in quo de salute totius populi , ac Romanæ Civitatis agebatur , ipse , cujus officium erat militibus in acie præesse , intra urbis mœnia formidolosus circensium spectator sedebat .

c *Quumque repente populus (Circenses enim natali suo , edebat) voce succlamat* . In Ms. *quumque* &c. *Natali suo & debita* . Mutilus , & corruptus locus iste jure putatur a Bauldrio , qui eum sic supplere , ac restituere tentavit ex edit. Oxon. , & Cantab. *Quumque repente populus (Circenses enim Natali suo celebraverat.)* Sed melius *celebrabat* ex Grævio ; vel *edebat* ex Tollio ; vel *dabat* suo marte . Sic Diocletianus Vicennalibus suis , per annum celebratis , circi dedicatione , & ludis finem imponere voluisse , vidimus cap. XVII. lego cum Tollio , & Langletio Ms. apicibus inhærendo , *voce succlamat* forte legendum : *elata voce* .

d *Constantinum vinci non posse* . Aliquis forte è castris Romam regrediens retulerat , Constantiniani exercitus in pugna constantiam , atque virtutem ; cujus rei fama vulgata , hanc vocem fræquens populus coram Imperatore , circenses ludos spectante , impatiens emisisse videtur .

8. Qua voce consternatus proripit se , ac vocatis quibusdam Senatoribus , libros Sibyllinos inspici jubet [a] , in quibus repertum est ,

a *Libros Sibyllinos inspici jubet* . More Romanorum antiquo . Vide Zosim. ubi supra , &c.

illo die hostem Romanorum esse periturum [b].

b *Hostem Romanorum esse periturum*. Ambiguum hoc esse, ait Cuperus, quia etiam si victus fuisset Constantinus, *procul dubio illum appellasset hostem*. At tunc fallum, non ambiguum dici debuisset Oraculum; siquidem Constantinus non hostis; sed Romanæ Gentis adtutor contra Tyrannum venerat. Vide Euseb. lib, IX. cap. VIII. hist. Eccl. lib. I. cap. XX. *de Vita Constant.* Et Aurel. Victor. cap. XL. n. 24. *de Cæsar.* Is describens lætitiam non solum Romani Senatus, sed etiam Plebis ob victoriam de Maxentio à Constantino relatam, clarissime ostendit, quis ex duobus Imperatoribus pro hosce Romanorum haberetur.

9. Quo responso in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus scinditur [a]. Eo viso pugna crudescit, & Ma-

a *Pons a tergo ejus scinditur*. Scilicet post quam Maxentius transierat; Si enim Aurelio Victori fides, in *lib. de Cæsar.* ultra pontem processerat Maxentius ad nonum ferme ab urbe lapidem, locusque ad dimicandum electus: *Saxa Rubra* nomen habuit; *Sed quum, cæsa acie, fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hosti apud pontem Mulvium locaverat, in transgressu tiberis, interceptus est*. In Epitome vero id clarius exprimit idem Victor dum ait: *In pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est*. Euseb. Zosimus, Libanius, Protagoras, aliique de hac ejusdem Maxentii historia agentes id ipsum confirmant. Non tamen ut quidam falso putant, Authori nostro contradicunt; nam quamvis pons ille à Bellisario primum, deinde à Nicolao V. R. P., post barbarorum incursiones, diverso sit ordine instauratus; ita tamen a primis usque temporibus constructus fuit, ut utrinque divelli, ac diffringi potuisset; sicuti in tabulis topographicis vidimus. Vel in una ergo, vel in utraque parte insidias Maxentius instruxerat, ut simulata fuga insequentem Constantinum cum suo exercitu ibidem profligaret, paratis etiam ad hunc finem navi-

Manus DEI fupererat aciei[b]. Maxentianus proterretur; ipfe in fugam verfus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium preffus in Tiberim deturbatur.

vigiis, quibus undique hoftem circumveniret. At contra accidit; fufus quippe Maxentianus exercitus, & præcipiti, veraque fuga Romam repetens, quum pontem interruptum citius confcendere tentaffet, five potius de eo defcendere Maxentius properatet, *multitudine fugientium preffus in Tiberim deturbatur*; ficuti mox Lactantius profequitur, qui brevitati ftudens, navigiorum menfionem non fecit.

b *Et manus Dei fupererat aciei*. In Ms. *& manus Dei fuperat. Aciei, Maxentianus* &c. ex Anonym. qui fic locum reftituit. *Et manus Dei fuperat. Acies Maxentiana proteritur* &c. Superius cap. XXVI. *Dei manus hominem protegebat*. Heum. *At manu Dei fuperante, acies Maxentiana proterretur*. Langletius forte legendum ait: *fuberat aciei* fed melius biblicam phrafim effe dixerat. Exod. XVII. V. 11.

10. Confecto tandem acerbiffimo bello, cum magna Senatus, Populique Romani lætitia[a] fufceptus Imperator Conftantinus, Maximini perfidiam cognofcit, litteras deprehendit, ftatuas[b], ac imagines invenit.

a *Cum Magna Senatus, populique Romani lætitia*. Extant adhuc Romæ plurima hujus lætitiæ teftimonia.

b *Litteras deprehendit, ftatuas* &c. Apud Maxentium, cujus res omnes jure belli in Conftantini poteftatem venerant, reperta funt Maximinum inter & Maxentium confœderationis indicia contra Conftantinum & Licinium initæ, de qua fupra egimus cap. XLIII.

11. Senatus Conftantino virtutis gratia primi nominis titulum decrevit[a], quem fibi

Maximinus vindicabat [b]: ad quem victoria liberatæ urbis quum fuisset allata, non aliter accepit, quam si ipse victus esset.

---

a *Primi nominis titulum decrevit*. Diversimode hoc explicant effatum annotationum Scriptores; quidam enim putant cum Bauldrio hocce titulum fuisse additum illud *Maximus*, quo Constantinus *Imperator Maximus* ex S. C. primum dictus fuisse traditur. Alii vero cum Cupero, & Columbo ex Euseb. lib. IX. *Hist. Eccl.* cap. x. exponunt, Constantinum inter omnes primum habuisse locum in Decretis Imperialibus ex S. C., qui hactenus in tanta rerum pertubatione, quid esset hac in re facturus expectabat, ne injuriam Imperatoribus de primatu decertantibus, intulisse videretur: in quam sententiam eo libenter imus ob ea, quæ habentur cap. XXXII. seg. I. seqq. Ad *Maximi* titulum, quod attinet, jam lib. I. cap. I. seg. 13. Diss. VII. Part. II. § II. & Diss. X. §. XXII. aliqua notavimus; & heic paullo infra declarabimus si quæ ibidem obscuriora videntur.

b *Quem sibi Maximinus vindicabat*. Inter eos, qui tunc se Cæsares, sive Augusti dicebantur, *se priorem esse debere*, contendebat Maximinus ob eam rationem, quam Galerio reddiderat eo vivente, nimirum, quod ipse prior sumpserat purpuram, ut vidimus cap. XXXII.

12. Cognito deinde Senatus decreto, sic exarsit dolore [a], ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adversus Imperatorem Maximum [b] diceret.

CAP.

---

a *Exarsit dolore*. In Ms. *dolorem*.

b *Adversus Imperatorem Maximum*. Usus jam invaluerat, ut Imperatores Augusti, etiam *Maximi* dicerentur, non solum quia hoc erat additum Pontificii muneris, quod sibi jampridem usurpaverant; verum etiam quatenus Augusti. Apparet hoc ex præfatione Epistolæ, quam cap. XXXIV. Noster exhibuit, eadem præfatione omissa; sed apud Eusebium expresse recitata lib. VIII. H. E. interprete Valesio cap. XVII., in versione

ne Christoforsoniana cap. XXIX., in qua Galerius, postquam P. Max. appellatus est, novies *Maximi* titulum sibi arrogaverat, nempe: *Thebaicus Max. German. Max.* &c. etsi hæc in utraque versione cum aliqua variatione legantur. Hinc sive privata, sive publica authoritate statim ac Cæsar aliquis Augustus renunciabatur, *Imperatoris Maximi* titulo, ab eis donabatur, qui eisdem erant ab officiis; sicuti Noster diserte ostendit lib. I. cap. I. seg. 13. quum Constantinus novissimus Augustorum dictus esset, eum appellans: *Constantine Imp. Max.* quod diu postmodum tam in nummis; quam in inscriptionibus usitatum fuit.

CAPUT XLV.

1. Constantinus, rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit [a]. Eodem Licinius advenit, ut acciperet uxorem.

a *Hyeme proxima Mediolanum contendit*. Puta mense Februario, vel Martio.

2. Maximinus, ubi eos intellexit nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit e Syria, hyeme quam maxime sæviente [a], & mansionibus geminatis [b] in Bithyniam concurrit [c] debilitato agmine.

Nam

a *Hyeme quam maxime sæviente*. Bunem. *quamquam tum Maxime* &c. Columb. *hyeme tam sæviente, quam quum maxime*.

b *Mansionibus geminatis*. Mansiones Militares sic dispositas tunc fuisse putant eruditi viri, ut tantum una ab alia distaret, quantum una die commode posset itineris a militibus singulis confici; easque distin-

stingunt a *Mutationibus*, ubi equos publicos locabant, ut nunc mos est, Tabernarii. Verum huic distinctioni opponuntur ea; quæ cap. xxiv. dicuntur de Constantino, qui *per multas mansiones sublatis equis publicis*, iter, ne insequeretur, confecit. Sive tamen diversæ fuerint, sive non; ad explicationem hujus loci parum refert, dummodo intelligas, Maximinum non ibi quievisse, ubi de more quiescendum erat; sed maturasse adventum suum in Bithyniam geminatis processibus.

c *In Bithyniam concurrit*. Grævius *accurrit*. Tollius *procurrit*. Heum. *cucurrit*. Sed nihil mutandum; *concurrere* enim est *simul cum aliis currere*, quamadmodum heic Maximinum fecisse ex eo cognoscitur, quod agmine debilitato pervenit.

3. Nam maximis imbribus, & nivibus, & luto, & frigore, & labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages [a] speciem jam futuri belli, & similem cladem militibus nuntiabat.

a *Per viam Strages*. In Ms. ex Anonym. *Stragis*.

4. Nec ipse intra fines suos moratus est [a], sed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas accessit [b] armatus. Erant ibi milites præsidiarii [c], ad hujusmodi casus a Licinio collocari. Hos primum muneribus, & promis-

a *Intra fines suos moratus est*: De quibus supra egimus cap. xxxvi.

b *Ad Byzantii portas accessit*: In Ms. *Bizanti* ex Anonym.

c *Milites præsidiarii ad hujusmodi casus*: In Ms. *ad hujusmodi causa* ex Nourrio. Sic Livius Lib. ix. *Bell Pun.* præsidiarios eos milites vocat, qui ad locorum tutelam disponebantur.

missis illicere tentavit [d], postea vi, & oppugnatione terrere; nec tamen quicquam vis, aut promissa [e] valuerunt.

d *Illicere tentavit*: In Ms. *inlicere* ex Anonym. *illicire* ex Langletio.

e *Vis aut promissa*: Columbus: *aut vis, aut promissa*.

5. Jam consumpti erant dies undecim [a], per quos fuit spatium nuntios, litterasque mittendi ad Imperatorem [b]; quum milites non fide, sed paucitate diffisi, se ipsos dediderunt [c]. Hinc promovit Heracleam [d]; & illic

a *Consumpti sunt dies undecim*: Spatium hocce notandum pro vera temporis diuturnitate noscenda, qua Constantinus Romæ moratus est.

b *Ad Imperatorem*. Scilicet Licistium, in cujus ditione erat Byzantium. An autem hocce dierum spatium permiserit Maximinus obsessis, ut de adventu suo ante deditionem Licinio nunciare possent, an undecim dies necessarii fuerint ad obsessorum litteras Imperatori mittendas, discrepant heic Interpretes Gallus, & Anglus, nec decerni potest cui sit assentiendum; quamvis prima potius, quam secunda interpretatio sit vero similior, ob ea quæ sequuntur.

c *Non fide, sed paucitate diffisi, se ipsos dediderunt*: Sic Baluzius edidit: Nourrius: vel *dederunt*: Anonym. *defendunt*: In Ms. legitur *dederunt* iisdem testibus. Gale pro *diffisi* mallet *defecti*: sed male, *nam diffisus paucitate militum*, est phrasis latina Livio, Tacito aliisque bonis usitata. Idem Lactantius Lib. VII. cap. I & ait: *cælesti mercede diffidit* &c.

d *Hinc promovit Heracleam*: In Ms. *Heracliam* Nota hanc esse Heracleam Thraciæ, quæ alio vocabulo *Perinthus* appellata est. Unde Poeta incertus apud Bauldrium. *Qua magna Perinthus.*

Ante fuit, priscum mutavit Heraclea nomen.

Et in Græc. Menolog. ad diem X. Maji; *Perinthum urbem Thra-*

illic eadem ratione detentus [e], aliquot dierum tempus amisit [f].

Tharcia, quae nunc Heraclea dicitur, urbs est in Propontide sita, etiam Mygdonia aliquando dicta, Amphitheatro ex uno marmore constructo olim clarissima, de qua vide Diodor. Sicul. Lib. XVI.

e *Eadem ratione detentus*: Mittendi nimirum Licinio litteras.

f *Aliquot dierum tempus amisit*: Minus tamen undecim dierum ob minorem distantiam à Licinio, qui primis acceptis epistolis, festinato itinere illuc advolavit: In Ms. *aliquod dierum*: ex Anonym.

6. Et jam Licinius festinato itinere cum paucis Hadrianopolim venarat [a], quum ille accepta in deditione [b] Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem millia decem, & octo [c]. Nec enim poterat ulterius, Li-

a *Adrianopolim venerat*, quae urbs est ejusdem Propontidis ad Taxi, & Hebri confluentes aedificata ab Oreste, a quo *Oresta* quondam; deinde *Aelia*, postmodum *Uscuduma*, demum Hadrianopolis ad Adriano dicta est, qui Oraculi voce monitus eam instaurasse, atque ampliasse dicitur In Ms. *Adrianopol.* ex Anonym.

b *Accepta in deditione Perintho*: In Ms. *Perentho*. Scilicet Heraclea, de qua paullo supra. Plurimi legunt *in deditionem*.

c *Processit ad mansionem millia decem, & octo*: Scilicet processit millia passuum XVIII. ad mansionem, quae secundum Baluzium *Resiston* esse debuit, utpote quae prima occurrit in itinerario Antonini euntibus Adrianopolim ab Heraclea; quamvis ab hac ibidem dicatur abesse M.P. XXII.; sed erravit Baluzius: nam *Resiston* non mediat Heracleam inter, & Adrianopolim; sed jacet inter Trajanopolim, & Heracleam, distatque a Trajanopoli M.P. XXII. non ab Heraclea, Vide Itinerar. Anton. p. 37. edit. Colon. an. 1600. editum. Loca vero,

Licinio jam ſecundam manſionem tenente [d], diſtantem millibus totidem.

vero, quæ in eodem itinerario pag. 73. mediate dicuntur inter Adrianopolim, & Heracleam ſunt *Perinthus*, *Tirallum*, *Druſiparum*, *Bergulas*, *Burdidizum*, & *Oſtudizum*. Vide infra Cap. ſequenti.

d *Licinio jam ſecundam manſionem tenente, diſtantem millibus totidem, qui collectis*. In Ms. barbare ſcriptum eſt: *ſecunda manſione tenente* ..... *tenentem que*. Baluzius legendum putaverat: *Secundam manſionem tenente, diſtantem millibus totidem, atque collectis*; ſed ſecundis curis cum Voſſio legandum cenſuit: *qui collectis*. Grævius. *Licinio jam ſecunda manſione tendente*. Gale: *millibus tot, idemque collectis*. Columbus vero: *Licinio jam ſecunda manſione tenente, diſtante millibus tedidem*. *Hic itaque collectis*. Ex his omnibus, inter ſe diſcrepantibus, id unum pro explorato habendum eſt; ſcilicet, Maximinum & Licinium una dumtaxat manſione tunc fuiſſe inter ſe diſtantes, & utroque procedente, illo quidem Heraclea, hoc Hadrianopoli, ad Campum Serenum perveniſſe, ubi commiſſum eſt prælium; de quo Cap. ſequenti cum Lact. dicemus. Vide cap. proxime ſequenti.

7. Qui, collectis ex proximo quantis potuit [a] militibus, pergebat obviam Maximino, magis, ut eum moraretur, quam propoſito dimicandi, aut ſpe victoriæ.

a *Quantis potuit*: Scilicet *Quot potuit*: Eſt Græciſmus, de quo in notis ad cap. xv. Lib. iv.

8. Quippe quum ille ſeptuaginta millium Armatorum Exercitum duceret, ipſe vix triginta millium numerum collegiſſet. Sparſi enim milites per diverſas regiones fuerant, & adunari omnes anguſtiæ temporis non ſinebant.

CAP.

CAPUT XLVI.

1. PRopinquantibus ergo exercitibus [a], jam futurum propediem prælium videbatur.

a *Propinquantibus ergo exercitibus*. Ad Cap. XXIV. diximus de verbo *propinquo* pro *appropinquo* usitato.

2. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victoriam cepisset [a], Christianorum nomen exstingueret, funditusque deleret.

a *Ut si victoriam cepisset*. Bauldrius locutionem hanc nullibi offendisse se testatur. Nourrius *impropriam* Heum. *insolentem*, eam appellant: bene tamen eam propugnat Bunem. plurimis allatis exemplis, interquæ illud Cæsaris Lib. III. Bel. Cel. cap. LXXXVII. num. 7. Satis esse poterat, ubi ait: *Jam animo victoriam percipiebat*. *Adipisci victoriam amplecti*, *concedere*, *dare*, & similia passim apud bonos occurrunt, & ipse Lactantius lib. VII. sæpe simili modo dixit: *capere virtutem*, *sapientiam* de Opif. Dei Cap. IV. *capere mortem*.

3. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adstitit Angelus DEI [a], monens, ut ocyus sur-

a *Licinio quiescenti adstitit Angelus Dei*: Hæc in aliis Scriptoribus frustra quæres. Sic cap. XLIV. *commonitus est in quiete Constantinus*. Cellarius hocce monitum lectori suo heic dedit: *Est de re, quod dubites; maxime de oratione ex ore Angeli excepta*. *Fama tamen inter Christianos fuit*, quam

ſurgeret, atque oraret DEUM ſummum [b] cum omni exercitu ſuo; illius fore victoriam, ſi feciſſet [c].

quam ſecutus Author eſt; ſed non tantæ authoritatis eſſe Cellarium putamus, ut ei gratis, & nulla ratione adducta fides habeatur. Maxime quum novum non ſit, Angelos hominibus quieſcentibus adſtitiſſe, ut S Joſepho apud Matth. cap. I. ℣. 20. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens*: Nec in ea Oratione aliquid Angelo indignum hactenus repertum eſt.

b *Atque oraret Deum ſummum*: Bauldrius, qui aliquando dubitare viſus eſt de hujus libelli Authore, heic pluribus locis Lactantii adductis, tandem concludit: *quin hac enim inter alia, Lactantium iſtius quoque libelli parentem eſſe dubitari non poteſt*. nullum quippe epithetum frequentius iſto adhibuit Lactantius in omnibus ſuis operibus, quum de Deo loqueretur.

c *Illius fore victoriam, ſi feciſſet*. Anonym. dat heic lectionem Codicis, & interpunctionem retinendam hoc modo: *exercitu ſuo: Illius fore victoriam, ſi feciſſet*. Heum. addit, *ſi id feciſſet*, ſed Lactantius pronomina more Ciceroniano ſæpe omitit. Epit. Cap. XXVII. *vitam perderet, ſi feciſſet*.

4. Poſt has voces quum ſurgere ſibi viſus eſſet, & quum ipſe, qui monebat [a], adſtaret; tunc docebat eum, quomodo, & quibus verbis eſſet orandum.

a *Quum ſurgere ſibi viſus eſſet, & quum ipſe qui monebat* &c. Tollius, & Anonym. legunt: *Conſurgere* ſibi viſus eſt, & cum ipſo &c. Boherellus vero approbante Bauldrio; *quum ſurgere ſibi viſus eſſet, & quum ipſe, qui* &c. Al. *cum ipſo*.

5. Diſcuſſo deinde ſomno, notarium juſſit

sit acciri [a], & sicut audierat, hæc verba dictavit [b]:

a *Notarium jussit acciri*. Id est eum, qui Licinio erat ab epistolis, seu a secretis, ut de Pentadio Ammianus Marcellinus in Diss.II. §. XXXIX. Alii legunt: *acsiri*. Al. *adsciri*. Lact. lib.v. cap. II. *accitus decertm*.

b *Hac verba dictavit*. Columbus scite putavit, ad hanc orationem respexisse Eusebium lib. IV. *de Vita Constantini* cap.XIX. dum scripsit; Imperatorem militibus illis, qui Christianam fidem nondum susceperant, præcepisse, ut dominicis diebus in Campum procederent, & precationem, *quam antea didicisset*, simul omnes, dato quodam signo, funderent. Quam conjecturam etsi improbet Baluzius; tamen non contemnendam esse arbitror; si enim non verba; sensus tamen in utraque unus, & idem est. Vide Euseb. L. C. cap. XX.

6. Summe DEUS, te rogamus: sancte DEUS, te rogamus: omnem justitiam [a] tibi commendamus; Imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores, & felices existimus [b]. Summe sancte DEUS, preces nostras exaudi [c]: bracchia no-

a *Omnem justitiam*. Heum. heic, ut suam eruditionem ostenderet: *ex verbis statim sequentibus, cognosco*, inquit, *Autorem scripsisse*: *nostram justitiam hoc est*: Belli Nostri justitiam. *Quantam vim habeat in bellis justitiæ conscientia*: *Grotius docet* Prolog. *ad jus belli ac pacis* §. XXVII. *Scilicet ut ille Cynthiæ amotor lib.* IV. *eleg.* 6. *canit*.

Frangit, & attollit vires
in milite caussa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

b *Per te vivimus*. *Per te victores, & felices existimus*. In oratione Constantiniana apud Euseb. ubi supra. *Per te hostes superavimus*; *Abs te & præsentem felicitatem consequutos, fatemur*.

c *Summe Sancte Deus, preces nostras exaudi*. In eadem orat. *Tui omnes supplices sumus*; *Abs te petimus* &c.

nostra ad te tendimus. Exaudi sancte summe DEUS.

7. Scribuntur hæc in libellis pluribus [a], & per præpositos, tribunosque [b] mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis victoriam sibi credentibus de cælo nunciatam.

a *In libellis pluribus*. Scilicet in foliis brevioribus memoriæ caussa paratis. Cicer Philip. I. *Et vos acta Cæsaris defenditis, qui leges ejus evertitis? nisi forte siquid memoriæ caussa retulit in libellum, id numerabitis in actis*.

b *Et per Præpositos, Tribunosque*. Præpositus is in exercitu dicebatur, qui militari gaudebat magistratu. Sueton. in Galba: *Præpositos, Procuratoresque supplicio capitis affecisset*. Tacit. in Agricola: *Discordiam Præpositorum subjectis exitiosam*. Aliquid in his deesse suspicabatur Bauldrius v. g. *ad Centuriones, ut suos quisque milites doceret*. Quod mihi semper visum est necessarium. Unicuique enim Cohorti suus erat Præpositus, sicuti & Legioni, ut in inscriptionibus sæpe occurrit: *Præpositus cohortis*: *Præpositus legionis*: coram quo caussas milites dicebant, ideoque Tribunis præcedebant.

8. Statuit Imperator prælium [a] die Kalendarum Majarum [b], quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant [c], ut suo optis-

a *Statuit Imperator prælium*. Sine dubio intellige Maximinum; non autem Licinium, ob ea, quæ sequuntur.

b *Die Kalendarum Majarum*. Si bene meministi cap. XIX. Maximinus Daja Cæsar factus est, & quidem ante annos octo, ut in Tabul. Chron. ostendimus Diss. XXII. cap. II. §. VIII. Al. legunt: *in diem*. Al. *diei*. Al. *diei critici*.

c *Nuncupationis ejus implebant*. In Ms. *implebunt*: ex Nourrio.

tissimum natali vinceretur, sicut ille victus est Romæ.

---

d *Ut suo potissimum natali vinceretur, sicut ille victus est Romæ.* Non ille erat finis, propter quem Maximinus hunc prælii diem elegit; sed ab eventu similitudinem Lactantius sumpsit; sicuti enim vidimus ca. XLIV. Maxentium victum fuisse die imperii sui natali; ita in eodem natali Imperii sui die vincendus erat Maximinus.

9. Maximinus voluit præire maturius; pridie mane aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum [a]. Capiunt milites arma, obviamque procedunt [b]. Campus intererat sterilis [c], ac nudus, quem vocant Serenum [d].

10. Erat

---

a *Movisse Maximinum.* En ergo Imperator ille, de quo supra dicitur: *Statuit Imperator prælium.*

b *Obviamque procedunt.* Nempe Liciniani.

c *Campus intererat sterilis.* In Ms. *sterelis.*

d *Quem vocant Serenum.* Nec circa *Resiston*, ut voluit Baluzius, nec in Illyriis, sicut perperam narravit Zosimus; sed prope *Bergulam*, quæ & Arcadiopolis dicta est, teste Cedreno. Urbs Traciæ mediterranea, inter Adrianopolim ad occasum LIV. & Heracleam ad Ortum XLVII. M. Pass. sita, prope fluvios Melam, & Atzum: Mercatori *Bergas* dicta. Siquidem cap. XLV. vidimus Maximinum Heraclea, Licinium Adrianopoli castra movisse. Decem, & octo millia P. confecisse Maximinum, totidem Licinium, se obviam mutuo occurrentes; totidemque distare, quum quisque substitit, ut suis quietem daret, & contra hostem validior, atque instructior procederet. Quod sic demonstro.

	18 Millia Pass.	XVIII. confecit Maximinus:
	18	XVIII. totidem Licinius:
ergo	18	XVIII. totidem distabant.
Nam Mill. Pass.	54	LIV conficiunt.

Qui est numerus, quo distat Adrianopolis a Bergula secundum Baudrant in hac postrema voce, & Anton. in suo Itinerario, de quo supra cap. XLV.

10. Erat jam utraque acies in conspectu [a]. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cælum manus tendunt [b], præeuntibus præpositis, & post Imperatorem precem dicunt [c]. Audit acies peritura [d] precantium murmur.

a *Erat jam utraque acies in conspectu*. In Ms. *utroque acies* ex Nourrio, & Langletio.

b *Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad Cælum manus tendunt*. Observa heic precantium morem, quem etiam vetera monumenta repræsentant.

c *Et post Imperatorem precem dicunt*. In Ms. *&* *post Imperatorē PCC dicunt*: ex Langletio. Nourrius, & Cellarius exponunt: *pro Imperatore*. Al. *post Imperatorem*: I nunc, & provoca ad Mss fidem. Heum. legit; *& pro Imperatore precantibus*.

d *Acies peritura*. Sic Virgil. II. Georg. ℣. 498.

Non res Romanæ, perituraque regna . . . . .

Et Ovid. XIII. Metam. p. 463. ℣. 20.

. . . . *Tibi se peritura reservant*. *Pergama*.

11. Illi oratione ter dicta [a], virtute jam ple-

a *Oratione ter dicta*. Non Ethnicorum solummodo mos erat ternarium numerum in suis precibus, ac superstitionibus observare; sed Christianorum quoque, qui ab Angelis hoc didicerunt clamantibus alter ad alterum; *Sanctus, Sanctus, San-*

pleni [b], reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium [c]. Ferri non potuit [d] Maximinus ad pacem.

Sanctus, Dominus Deus exercituum. Isaj. VI. V. 3. Sic teste Nicephoro lib. XIV. cap. XLVI. Congregatis olim fidelibus ob terræ horrendos motus, & Deum supplicantibus, puer quidam in sublime raptus, & inde cœtui orantium restitutus, retulit audisse se Angelos ter decantantes *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nobis*: ut nos de more facimus ter etiam frontem, os, ac pectus signo vivificæ crucis muniendo, sive terræ motibus, sive tempestatibus, sive quocumque alio timore improviso perculsi, in honorem SS. Trinitatis. Vide Columbum heic, ubi morem hunc laudat.

b *Virtute jam pleni*. Bellica, inquit, Bauldrius, quæ vulgo fortitudinis nomine cognita, & ignaviæ contraria est; sed melius *Spei* dixisset *virtute pleni*, qua scilicet, Deum, sperabant, sibi victoriam daturum; paullo enim supra Lactantius dixerat: *crevit animus universis, victoriam sibi credentibus de Cælo nunciatam*.

c *Procedunt Imperatores ad colloquium*. Quemadmodum supra cap. XXXVI. diversa tamen fortuna: nam tunc pax, & concordia; nunc Bellum, ac desolatio Maximini, qui flecti non potuit ad pacem, secuta est.

d *Ferri non potuit*. In Ms. *Ferre non potuit*. Heum. corrigit: *Perpelli ad pacem*. Bunem. *flecti*. Lactantius ex Cicerone lib. III. *de Republ.* hæc habet lib. V. cap. XVI. *Homines, & alias animantes ad utilitates sua natura ducente ferri*.

12. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri a militibus existimabat [a]; quod ille esset in largiendo tenax [b], ipse autem profusus:

---

a *Existimabat*. In Ms. *extimabat*: ex Anonym. qui corrigit *æstimabat*.

b *Ille erat in largiendo tenax*. Nempe Licinius, quem etiam Aurelius Victor, & Anonym. Valesianus avarum fuisse tradiderunt, quod quidem vitium *in Imperatore malum, in Episcopo pessimum* esse ex proverbio didicimus.

fusus: eoque proposito moverat bellum, ut exercitu Licinii sine certamine [c] accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

c *Ut exercitu Licinii sine certamine*. In Ms. *ut exercitum Licinii sine certamina*.

CAPUT XLVII.

1. Ergo propius acceditur; tubæ canunt, signa procedunt. Liciniani impetu facto adversarios invadunt. Illi vero perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt [a].

a *Nec tela jacere quiverunt*. In Ms. *quieverunt*: ex Nourrio. Sic Lactantius sæpe. V. g. *de Opif. Dei* cap. IV. lib. II. cap. V., ubi eodem errore lapsi sunt Amanuenses Librarii, ac quidam Typographi.

2. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad suos refugit. Cædebatur acies ejus impune; & tantus numerus legionum, tanta vis militum a paucis metebatur [a].

 3. Ne-

a *A paucis metebatur*. Quasi aristæ leves, & inanes, nulla vi resistentes; nec enim *gladios expedire, nec tela jacere* poterant, Deo sic volente, milites Maximini: Hoc eodem sensu Lact. lib. VII. cap. XV. *metens omnia*: quæ elegans locutio est, non poetica, ut putavit Bunem. In Ms. *metuebatur*.

3. Nemo nominis [a], nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor: quasi ad devotam mortem [b] non ad prælium venissent; sic eos DEUS summus jugulandos subjecit inimicis. Jam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quam putabat.

---

a *Nemo nominis* &c. Horotius de milite Crassiano lib. III. Cod. v.

Consenuit Socerum in Armis
Sub Rege Medo Marsus, & Appulus,
Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ:

ex Tollio, sed edem quam diversa ratione!

b *Ad devotam mortem*. Scilicet constitutam, & destinatam. Cicero *de Aruspic. respons*: devota, & constituta hostia esse videtur.

4. Projecit purpuram, & sumpta veste servili fugit, atque fretum trajecit [a]; ac in exercitu [b] pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita, vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi [c] desertor Imperator.

---

a *Atque fretum trajecit*. De quo supra cap. XXXVI.

b *Ac in exercitu*. Lege: *at in exercitu* ex Tollio. Vel cum Boherello: *at ita exercitus pars dimidia debita, vel in fugam* versa est.

c *Ademerat enim pudorem deserendi*. Scilicet Castra, quæ tamen subintelligi debent, quum *desertor* absolute dixerit non solum Lact. lib. VII. cap. XXVII. sed Cæsar. lib. VI cap. XXIII. *Bell. Gall.* Spartian. in Pescen. Nigro. Sueton. in Cæsare & Modestinus de re milit. *desertor est, qui prolixum tempus evagatus, reducitur*.

5. At ille Kalendis Majis, id est, una no-

nocte [a], atque una die, medium iter fuga emensus, Nicomediam alia nocte, pervenit [b], quum locus prælii abesset millia centum sexaginta [c]; raptisque filiis, & uxore [d],

R 2 & paucis

a *At ille Kalendis Majis*, i.e. *est una nocte*. Maximinus castra deserere non potuit, nisi ad multam jam diem Kalendarum Majarum: quum in eo commissum sit prælium, à quo fuga se eripuit. Ergo spatio illius noctis, quæ Kalendis immediate successit, diei secundæ, ac noctis sequentis iter confecit Maximinus centum sexaginta M. Pass. quod cursu publico etiam nunc confici potest spatio xxx. horarum. Nec putes tunc, cursum minus expeditum fuisse; nam teste Procopio, Imperatores Romanos sic cursum publicum ubique terrarum instituerant, ut viro expedito, octo interdum stationes pro unius, diei itinere constituerint; nec umquam minus quinque, ex longioribus.

b *Atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit*. Deesse verbum aliquod omnino videtur post Τὸ *una die*, quod nomen fortasse erat Mansionis, ad quam pervenit; puta: *Byzantium*, ubi, ut paullo supra dixit, fretum trajecit. Si ergo legas: *At ille Kalendis Majis, id est, una nocte, & una die Byzantium, Nicomediam alia nocte pervenit*. Omnia plana fient. Siquidem duplici via Bizantio Nicomediam itur in Itinerario Antonini. Brevior una est, tribus dumtaxat Mansionibus: scilicet. *Byzantium, Pantichium, Libyssam, Nicomediam*. Langior altera quinque mansionibus: scilicet. *Byzantium, Chalcedoniam, trajectus in Bithyniam, Pantichium, Libyssam, Nicomediam*. Tollius loco vocis *Byzantium* ponit *ad Fretum*. Langletius *Melantiada*. Baudrius nihil mutat præter ordinem verborum, qui sic ab eo disponuntur: *At ille Kalendis Majis, id est una nocte. una die, atque alia nocte, Nicomediam pervenit*. Columbus vero addit *fugiens*:

c *Millia centum sexaginta*. Nourrius pag. 358. *Si Geographis credimus, illud iter adhuc longius est*; Sed illud in hac re mirandum, quod Geographi dicant iter hoc longius esse, quum nesciant hactenus determinare ubinam locorum situs sit Campus Serenus, a quo metiri distantiam debeant.

d *Rapitisque filiis, & uxore*. Elegantissime dictum ad exprimendam fugæ pernicitatem.

& paucis ex palatio comitibus, petivit Orientem [e].

e *Petivit Orientem*; *sed in Cappadocia*. In Ms. *sed ex Cappadocia*. Zosimus ad Ægyptum usque eum perrexisse, tradit, colligendorum militum caussa.

6. Sed in Cappadocia, collectis ex fuga, & ab Oriente militibus, substitit. Ita vestem resumpsit [a].

a *Ita vestem resumpsit*. Bauldrius mallet: *ibi vestem resumpsit*: nempe purpuram, quam deposuerat, ne in fuga deprehenderetur.

CAPUT XLVIII.

1. Licinius vero [a] accepta exercitus parte, ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus; & Nicomediam ingressus, gratiam DEO, cujus auxilio vicerat, retulit: ac die iduum Juniarum, Constantino, atque ipso ter Consulibus [b], de restituenda Ecclesia [c] hujusmodi litteras, ad præsidem datas, proponi jussit. Quum

a *Licinius vero* . . . . *in Bithyniam* . . . *post Pugnam*. In Ms. *Licinium*. *Bithynia pugna* ex Anonym.

b *Die Iduum Juniarum Constantino, atque ipso ter consulibus*: Vide Tabul Chronol. Diss. XXII. cap. II. §. VIII.

c *De restituenda Ecclesia*. Observa, quod Ecclesiam Nicomediensem, quam cap. XII. appellaverat *illud editissimum* fortasse *Templum*, heic *Ecclesiam*, infra *conventiculum* Lactantius appellat.

2. Quum feliciter tam ego Conſtantinus Auguſtus [a], quam etiam ego Licinius Auguſtus apud Mediolanum conveniſſemus [b], atque univerſa, quæ ad commoda, & ſecuritatem publicam pertinerent, in tractatis haberemus; hæc inter cætera, quæ videbamus, pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda eſſe credidimus [c], quibus divinitatis reverentia continebatur; ut daremus & Chriſtianis, & omnibus liberam poteſtatem ſequendi religionem, quam quiſque voluiſſet; quo quidquid divinitatis [d] in ſede cæleſti, nobis, atque omnibus, qui ſub poteſtate noſtra ſunt conſtituti, placatum, ac propitium poſſit exiſtere.

a *Quum feliciter tam ego Conſtantinus Auguſtus, quam etiam ego Licinius Auguſtus.* In Ms. *tam ego, quam Conſtantinus Auguſtus, quam etiam ego Licinius Auguſtus* &c. Apud Euſebium lib.x. H. Eccl. cap.v. ante hæc verba ex latino in Græcam linguam traducta, quædam alia leguntur.

b *Apud Mediolanum conveniſſemus.* Ut conſtat ex cap.XLV.

c *Eſſe credidimus, quibus Divinitatis reverentia.* In Ms. *credimus . . . Divinitas*: locus optime a Baluzio reſtitutus.

d *Quo quicquid divinitatis, placatum, ac propitium.* Cuperus emendat: *quod quidquid Divinitatis* &c. Sparkus: *quod quidem Divinitatis.* Grævius: *ut quidem Divinitas . . . placata, ac propitia* &c. Boherel. *quod quidem Divinitas* &c. Tollius: *quo numen Divinitatis.* In Euſebii verſione latina hæe ita ſe habent: *quo quacumque ſit Divinitatis, & Cæleſtis numinis potentia, nobis, ac univerſis, qui ſub noſtra ditione vitam degunt, clemens, & propitia eſſe poſſet.* Quare Cuperi lectionem omnibus puto præferendam.

3. Itaque hoc consilio salubri [a], ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederat [b], quam ipse sibi aptissimam esse sentiret; ut possit nobis summa Divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur [c], in omnibus solitum favorem suum [d], benevolentiamque præstare.

a *Consilio salubri*: In Ms. *salubria* ex Anonym. qui legit: *hoc consilium salubri, ac rectissima ratione ineundum* &c.

b *Mentem suam dederat*: In Ms *dederet*; quod non mutarem: Langletius mallet: *dederit*.

c *Liberis mentibus obsequimur*: Scilicet a falsis Ethnicorum ritibus, atque impiis religionibus jam pridem liberati.

d *Solitum favorem suum*: In Ms. *solita fervorem*; ex Nourrio, & Langletio.

4. Quare scire Dignationem tuam [a] convenit, placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quæ prius, scriptis ad Officium tuum datis, super Christianorum nomine videbantur [b], nunc caveres [c]; & ut sim-

a *Dignationem tuam*: Al. *dicationem tuam*. Vide du-Cangii glossarium in hac voce; *dicatio* quippe, seu *dignatio* titulus erat honoris, quo tunc Præsides, ac Proconsules ab Imperatoribus donabantur; idemque erat dicere *dicatio*, seu *dignatio tua*, ac nunc *Ella V.S.* &c.

b *Videbantur; nunc caveres*: Locus iste mutilus, & depravatus, qnem varie hactenus eruditi tentaruut Critici; Sic in

simpliciter unusquisque eorum, qui eandem observandæ religioni [d] Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam [e] inquietudinem, ac molestiam sui, idipsum [f] observare contendant.

in Eusebii versione se habet: *De qua quidem voluntate nostra consentaneum fuit ad te rescribere, ut tum controversæ illæ sententiæ, quæ prioribus litteris ad tuam pietatem missis de Christianis continebantur penitus tollerentur: tum ea, quæ videbantur admodum severa, & a nostra mansuetudine, ac clementia aliena, omnino abrogarentur.* Quæ omnia referenda sunt ad Imperatorias litteras, quas nomine Augustorum dederat ad eundem Nicomediæ Præsidem Galerius Maximinianus; præcipue ad ea, quæ cap.XXXIV. innuuntur per illa verba: *Alia autem epistola judicibus significaturi sumus quid debeant observare*: Vide quæ ibidem notavimus.

c *Nunc caveret*: Anonym. *nunc libere*. In Ms. *nunc cavere*.

d *Observandæ religionis*, Al. *observandæ religione*:

e *Citra ullam*: In Ms. *citram illam*: ex Nourrio.

f *Idipsum*: Scilicet quod ante observabant.

5. Quæ sollicitudini tuæ plenissime [a] significanda esse credidimus, quo scires, nos liberam, atque absolutam colendæ religionis suæ facultatem iisdem Christianis dedisse.

a *Plenissime* In Ms. *plenissima* ex Anonym.

6. Quod quum iisdem a nobis indultum esse pervideas, intelligit Dignatio tua, etiam aliis religionis suæ, vel observantiæ, potestatem similiter apertam, & liberam, pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colendo [a], quod quisque delegerit, habeat liberam

beram facultatem; quas [b] enim condimus leges, eas nolumus obesse cujuscunque cultus honori, neque cuiquam religioni; aut aliquid a nobis [c], aliisque forsan contra hanc libertatem prius sancitum, deinceps cum plurimorum injuria observari.

a *Esse concessam, ut in colenda*: In Ms. *concessa*. lege *concessam, ut in colendo*. Et observa pro qualitate temporum non potuisse tunc Constantinum Ethnicorum ritus, ac superstitiones omnino abolere; sed reliquisse omnibus libertatem colendi quicquid vellent; ne turbæ in populo statim concitarentur: in quo Principis prudentia vigilare debet, quum haud raro qui prudenti dissimulatione malum aliquod tollerare in Republica noluit, bonum omne impatienti zelo ab ea exulare coegerit.

b *Quas .... honori*. In Ms. ex Nourrio *duo verba deleta sunt nec certe scriptum videtur quas*: Anonymus vero ait: *scriptum Ms. re vera hoc in loco valde exolevit: sed non est lacuna; & mihi videor in eo sequentia legisse: facultatem quo neque honori: vox neque bona est*. Langletius, qui postremus Ms. vidit, testatur ibidem sic se legisse: *facultatem, qui: cujus vice*, ait, *posui quia*, & *duo verba*, *quæ desunt*, *ex Eusebio suppleri per nolumus detrahi*: En Ms. fides. Eusebius autem ex versione Valesii, quæ melior à Baluzio dicitur Christophorsoniana, ac Musculana, hæc habet: *Id à nobis eo factum est, ut ne cui divino cultui atque honori quicquam a nobis detractum esse videatur*.

c *Neque cuiquam Religioni aut aliquid a nobis*. Heic adde *detrahi videatur*. En Eusebii verba ex versione Christophorsoni hisce nostris simillima: *Hocq. a nobis factitatum esse, ut nullius honoris, nullius religionis authoritas a nobis ulla ex parte imminui videatur*.

7. Atque hoc insuper in persona [a] Christianorum statuendum esse censuimus; quod si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant (de quibus etiam datis ad Officium tuum

a *In Persona*: Heum. *in Personam* ex Eusebio.

tuum litteris) certa ante hac forma [b] fuerant comprehensa , priore tempore aliqui vel a fisco nostro , vel ab alio quocunque videntur esse mercati , eadem Christianis sine pecunia , & sine ulla pretii petitione , postposita omni frustratione , atque ambiguitate , restituantur [c] .

b *Certa ante hac forma* : Intellige eam , de qua c. xxxiv. mentionem fecerat Galerius , & nos ibidem exposuimus .

c *Restituantur*. Nourrius , *restituatur* . Anony. *restituant*: Langletius nobiscum legit .

8. Qui etiam dono [a] fuerunt consecuti [b]; eadem similiter iisdem Christianis quantocyus reddant ; etiam vel hi , qui emerunt , vel qui dono erunt consecuti [c] , si petiverint de nostra benevolentia aliquid ; Vicarium postulent [d] , quo & ipsis per nostram clementiam consulatur . Quæ omnia corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam , ac sine mora tradi oportebit .

R 5 Et quo-

a *Eadem similiter* Heum. *eorum*.

b *Fuerunt consecuti* : Forte *fuerint* .

c *Vel qui dono erunt consecuti* : Al. *fuerunt consecuti* . In Ms. *vel qui donaverunt* ex Anonym .

d *Vicarium postulent* : Qui ex Greco in latinum hocce decretum reddiderunt , pro Vicario posuerunt : *Præfectum* , qui jus in illa provincia dicebat . Aliqui cum Columbo sic distingunt . *Vel qui dono fuerunt consecuti , si putaverint , de nostra benevolentia aliquid vicarium postulent* : Scilicet : aliquid postulent vice illarum rerum , quas erant dono consecuti , & nunc Christianis reddere debent . Ingeniosam quidem , sed non amplectendum conjecturam , ob ea quæ Grece apud Eusebium habentur .

9. Et quoniam iidem Christiani non ea loca tantum [a], ad quæ convenire [b] consueverunt [c]; sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia; ea omnia, lege, qua superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem, vel controversiam iisdem Christianis [d], id est corpori, & conventiculis eorum, reddi jubebis; supra dicta scilicet ratione servata, ut ii, qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint [e], indemnitatem de nostra benevolentia sperent.

---

a *Non in ea loca tantum*. Dele Τὸ *in* ut bene plerique omnes notarunt eruditi viri hujus libelli Interpretes, & editores.

b *Ad quæ convenire*: Anonym. *ad quæ antea* & forte *ad quæque antea*, nam in Ms. sic reperiri tradidit *adq. g. antea*.

c *Consueverunt*: In Ms. *consuerunt* Al. *consueverant* ex eodem Anonym., & Langletio.

d *Iisdem Christianis*: In Ms. *idem* ex Langletio, qui legit *hisdem*.

e *Restituerint*: In Ms. *restituant* ex Anonym. & Langletio.

10. In quibus omnibus supra dicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut præceptum nostrum quantocyus compleatur; quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti publicæ consulatur.

11. Hactenus fiet, ut sicut superius compre-

prehensum est, divinus juxta nos favor, quem in tantis summis rebus experti, per omne tempus prospere successibus [a] nostris cum beatitudine publica perseveret.

a *Prospere successibus* Al. *prosperis successibus*.

12. Ut autem hujus sanctionis benevolentiæ nostræ [a] forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo [b] hæc scripta, & ubique proponere, & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benevolentiæ nostræ sanctio latere non possit.

a *Ut hujus sanctionis benevolentiæ nostræ*. In Ms. ex Anonym. *ut hujus nostræ benevolentiæ nostræ*.

b *Probata programmate tuo* Langletius ex Ms. legit *per loca*: nam ibidem sic exaratum esse ait: *per lata*.

13. His litteris propositis, etiam verbo hortatus est [a], ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Ecclesia [b] usque ad restitutam fuerunt anni decem [c], menses plus minus quatuor.

R 6 CAP.

a *His litteris propositis etiam verbo hortatus est*: Scilicet Licinius.

b *Ab eversa Ecclesia*: Scilicet Nicomediensi, de qua Cap.XII.

c *Fuerunt anni decem* &c. Vide Tabul. Chron. diss.XXII. Cap.II. §.VIII.

CAPUT XLIX.

1. SEquenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, hic profugus concessit [a], & rursus Tauri montis angustias petiit [b]; munimentis [c] ibidem, ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est, & inde dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus [d], Tarsum postremo confugit [e].

a *Profugus concessit*: Scilicet Maximinus, eum *insequente Licinio*.

b *Tauri Montis angustias petiit*: Mons Taurus, omnium Maximus, qui sive in extrema Lycia, sive à Pamphylio mari prope insulas Chelidonias exoriens, Asiam totam ab occasu ad ortum ita dividit in duas partes, ut quæ septemtrionem spectat, intra Taurum, quæ vero meridiem, extra Taurum Asia vocetur. Plurimorum montium, quos utrimque, velut ramenta emittit, Pater dicitur, varia pro diversitate locorum assumens nomina, quæ in suo Lexico Geographico a Baudrante recensentur. Pro *petit* plurimi *petiit* legendum putant.

c *Munimentis*: In Ms. *monumentis* ex Anonym.

d *Et inde dextorsum perrumpentibus omnia victoribus*: Anonym. legit *& inde destrusus*; &c. nam in Ms. habetur *detorsum*.

e *Tarsum postremo confugit*: Tarsus urbs est Ciliciæ caput, Solino *Urbium Mater dicta*, Hermogenis Sophistæ, Athenodori Philosophi, & D. Pauli Apostoli natalibus longe, lateque clarissima.

2. Ibi quum jam terra, marique perterreretur [a], nec ullum speraret refugium [b], angore

a *Quum jam terra marique perterreretur*: In Ms. *premeretur* ex Anonym. quod certe non erat mutandum quamvis Langletius vacuum ibidem spatium quinque, aut sex litterarum post litt. *p.* inveniens, cum Grævio legere malit, *peteretur*.

gore animi, ac metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quæ DEUS in caput ejus ingessit.

b *Nec ullum speraret refugium*: In Ms. ex Anonym. *non ullum* Gale *effugium*; at *refugium* vox latina est Cicerone, Suetonio, & Cæsare usitata.

3. Sed prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimo se facere arbitrantur [a]; & sic hausit venenum [b], cujus vis referto stomacho repercussa [c], valere non potuit in præsens [d]; sed in languorem malum versa est [e] pestilentiæ similem, ut

a *Ut solent hi qui ultimo se facere arbitrantur*. Exempla apud Livium lib. XXVI. cap. XIV. Senatorum Capuæ. Apud Tacitum lib. II. *Annal.* num. 31. Libonis. Apud Florum Lib. IV. Cap. II. Jubæ, & Petreji cap. XII. Cantabrorum, & lib. II Cap. XVIII. Numantinorum reperies. Quin, addente Cupero, & eorum, qui sententia judicis damnati erant, & Gladiatores, antequam vitæ discrimen subirent, ad Cœnam varietate ciborum instructam, quæ ideo Miscellanea vocabatur, veniebant, ut sic cibis, vinoque recreatis, sive potius, mente deturbatis mortis formidinem non præsentirent. Vide Erasm. Chil. III. cent. III. Adag. VII.

b *Et sic venenum ausit*: Eutropius lib. X. de eo ait. *Vicinum exitum fortuita apud Tarsum morte prævenit*. Ex Sconhovii recensione, neque, ut infra videbibus alium reperio, qui veneneni à Maximino austi mentionem faciat.

c *Referto stomacho repercussa* In Ms. *repercussus*.

d *In præsens*; Id est *statim*, ut superius exposuimus.

e *In languorem malum versa*: Scilicet *vis veneni* In Ms. teste Anonym. *versæ* Heum. *versum*.

ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret [f]:

f *Cruciamenta sentiret*: Sic Cicer. Philip. XI. *cruciamenta morborum*.

4. Jam sævire in eum cœperat virus; cujus vis quum præcordia ejus ureret [a], insustentabili dolore [b] usque ad rabiem mentis elatus est; adeo ut per dies quatuor insania percitus [c], haustam manibus terram [d] velut esuriens devoraret.

a *Cujus vis quum præcordia ejus ureret*: Langletius. *Cujusvi quum præcordia ejus furerent*. In Ms. enim legitur *vi furens*: ex Nourrio, & Anonym.

b *Insustentabili dolore*. Lactantius lib. VII. cap. XVI. seq. *insustentabili dominatione*. Vide Euseb. lib. IX. Hist. Eccl. cap. VIII.

c *Insania percitus*. In Ms. *insania percutis*. Baluzius ex Lact. lib. I. cap. IX. *Idem furore, atque insania percitus*, locum optime restituit.

d *Haustam manibus terram*. Scilicet *effossam, collectamque*. Cæsar lib. V. Bell Gall. *manibus, ungulisque terram exhaurire cogebantur*.

5. Deinde post multos, gravesque cruciatus, quum caput suum parietibus infligeret, exsilierunt oculi ejus de caveis [a]. Tunc demum, amisso visu, DEUM videre cœpit, candidatis ministris de se judicantem [b].

6. Ex-

a *Exilierunt oculi ejus de caveis*. Vide Euseb. ubi supra S. Hieronym. ad cap. XIV. Zach. ℣. 12.

b *Candidatis ministris de se judicantem*. Scilicet Angelis circundatum Deum vidit contra se ferentem sententiam. Cuperus

Cum

Cum candidatis ministris : Illud addens ex Prudentii Hym. I. Peristeph. 67.

Christus illic candidatis
præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto
damnat infames Deos.

Heum. summa confidentia ait: *Non magis hic candidatis quam atracis ministris locus est*. *Nolimus igitur hic somniare cum somnianti Librario legendum: Crudelitatem justissime vindicantem*. Merito autem a Bunem. reprehenditur, qui hanc visionem refert ad cap. XXXVI. ubi dicitur, Maximinus Sacerdotes Maximos, & Pontifices instituisse, eosque candidis chlamydibus exornasse, cum facultate judicandi Christianos. Quasi conscientia ejus similem ei speciem objecerit summi Dei, ministrorumque ejus de se judicantium Idem Bunem. laudat heic Lactantii lib. VII. cap. II. ubi ait: *Transformabit Deus homines in similitudinem Angelorum*, & *erunt candidi sicuti nix* & *cap. XIX. descendet comitantibus Angelis*, & S. Cyprian *in exhort. ad Martyr.* ubi ait: *Martyres comitari Christum, quum venire cœperit vindictam de inimicis recepturus*. Nourrius ad candidatorum ordinem hæc verba retulit, qui Senatorius erat, & ex quo Candidati, Quæstores, & Prætores eligebantur ex *Cod. Theod.*, & Pancirol. At ex Actis SS. Martyr. Menæ, Hermogenis, & Eugraphi apud Metaphr. & Surium ad diem X. Decembris ne pigeat hæc delibare, quæ ibidem paullo ante finem leguntur: *Postquam autem statim reversus est Maximinus*, & *evestigio, plaga divinitus immissa, percussus, privatus suis oculis*, & *simul ab Angelis flagellatus, ut ipse suis dixit familiaribus, paucis post diebus expiravit: quum post plagam*, & *flagella tantum vixisset temporis, quantum satis erat ad aperiendum arcanum iis, qui ad ipsum genere attinebant; ne lateret, Dominus judicia faciens, divina justitia etiam hic malos puniens* &c.

6. Exclamabat ergo sicut ii, qui torqueri solent, & non se, sed alios fecisse dicebat [a]. Deinde, quasi tormentis adactus, fate-

a *Et non se, sed alios fecisse dicebat*. Sic mendacio se excusare coram Deo, quum flagellabatur, gestiebat.

fatebatur, Christum subinde deprecans [b], & plorans, ut suimet misereretur.

b *Fatebatur; Christum subinde deprecans*. Scilicet: *tormentis adactus* fatebatur, se mala illa, de quibus jam convictus erat, perpetrasse: Christum Dominum subinde *deprecans, & implorans, ut suimet misereretur*. Et sic lege, pro TS: *& plorans*.

7. Sic inter gemitus, quos, tanquam cremaretur, edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit [a].

a *Nocentem Spiritum detestabili mortis genere efflavit*. Anastasius Bibliothecarius, fortasse ex Theophane, ut putavit Baluzius, hæc omnia sic narrat: *Divina præveniens ira comprehendit eum. Flamma enim de medio viscerum, & medullarum succensa cum dolore intollerabili pronum super terram anhelantem prostravit, ita ut uterque oculus ejus exiliret, & cœcus, ut re vera scelestus, relinqueretur. Porro quum carnes ejus putrefactæ præ innumerabili ossium incendio caderent, ipse impugnantem Deum projecit animam*. Ex tot ergo testimoniis dicere cogimur errasse Aurelium Victorem, quum in Epit. cap. XL. n. 8. scripsit, eum *morte simplici periisse*. Nec Cuperi expositio quæ *mortem simplicem* exponit, *ab alio non illatam*, heic quadrare videtur.

CAPUT L.

1. HOc modo DEUS universos persecutores nominis sui debellavit [a], ut eorum

a *Universos persecutores nominis sui debellavit*. Sic Lactantius lib. VII. cap. XXVI. de iis loquens ait: *profligati jacent*. Unde intulimus, utrumque hoc opus divinarum scilicet Institutionum, ac istud de Mortibus Persecutorum, lucubratum, absolutumque ab eo fuisse ante annum æræ vulgaris CCCXIV.

rum nec stirps; nec radix [b] ulla remaneret.

b *Nec Stirps, nec radix*. In Ms. *nec Stirpis, nec radix* ex Langletio.

2. Nam Licinius, summa rerum potitus, in primis Valeriam, quam Maximinus iratus [a] ne post fugam quidem [b], quum sibi videret esse pereundum, fuerat ausus occidere; idem Candidianum [c], quem Valeria ex concubina ge-

a *In primis valeriam, quam Maximinus iratus* &c. In Ms. legitur: *in primis valerium, quem* &c. & Sic Baluzius primum edidit fassus, se nescire quis nam fuerit homo iste Valerius Maximino invisus, quamvis locum hunc secundis curis retractans, *valeria* nomen cum aliis reposuit. Sunt tamen qui adhuc contendunt, hunc Valerium illum fuisse, qui in quodam Goltzii numismate Græco appellatur: AYTΛ K.ΛOY.OYAΛEP. OYAΛENC. CEB. L. A. Id est *Imperator Cæsar Publ. Valerius Valens August. an. primo* de quo Aurelius Victor in Epitom. cap. xi. num. 9. ait: *Valens a Licinio morte multatur*. Et Zosim: scribit: Ita inter Constantinum, & Licinium fœdus initum fuisse, ut Valens de medio tolleretur. Vide heic Toinardum, Nourrium. A. III. cap. xiii. suæ primæ dissertationis in hunc lib. & Pagium ad An. cccvi. num. xi. *Crit. Baron. de M. P. cap. 50.*

b *Iratus, ne post fugam quidem*. Hinc fortis oritur conjectura, cui lectio nostra innititur, & ex Baluziana correctione mutuata; siquidem de sola fuga Valeriæ, Galerii uxoris, hæc possunt intelligi, quum ex cap. xxxix. didicerimus, *in iram, furoremque* Maximini libidinem conversam fuisse, propter negatum sibi matrimonium a Valeria, quam proinde statim proscripsit, bona rapuit, comites abstulit, spadones necavit; ipsam cum matre in exilium relegavit, nec in locum certum; sed huc, atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbavit.

c *Idem Candidianum .... necari jussit*; Scilicet Licinius: quamvis non statim ejus manda-

genitum ob sterilitatem [d] adoptaverat, necari jussit.

datum adimpletum fuerit, ut infra demonstraturi sumus. Τὸ *Idem* omnino in *Item*, vel *Inde* vel *deinde* mutandum esse videtur, quum præcesserit: Τὸ *in primis*. De hoc Candidiano cap. xx. Noster meminit, ubi Toinardus non inepte notavit, hunc filium ex Concubina Galerium suscepisse in Illyrico ad ripam Danubii, in qua per xv. annorum intervallum bellum gessit, nomenque Candidiani accepisse ex *Candidiana*, sive urbe, sive mansione, quæ in Itinerario Antonini pagin. 63. ponitur Transmariscam inter, & Teglicium.

d *Ob sterilitatem*. In Ms. *ob sterelitatem* ex Anonym.

3. Mulier tamen, ut eum vixisse cognovit [a]; mutato habitu comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur; qui quia Nicomediæ [b] se obtulerat, & in honore ha-

a *Mulier autem, ut eum vixisse cognovit*. Implicata lectio, & latentis mendi vehementer suspecta; Ideoque Columbus, legit *ut eum hoc edixisse cognovit*. Gale, Boherellus Heum. Colomesius, & Tollius legendum esse arbitrantur: *vicisse*, idque ad Licinium referunt; quasi sensus sit: statim ac Valeria audivit, Licinium vicisse, ac Maximinum jam è medio esse sublatum; vel Licinium edixisse mortem tam suam, quam Candidiani, mutato habitu, Nicomediam se contulit, ut ibidem clam Candidiani filii sui adoptivi fortunam specularetur, Baluzius vero in notis suis posterioribus cum Bauldrio communicatis his emendationibus sese opposuit & hunc sensum ex Lactantii verbis extraxit: *Licinius Candidianum necari jussit; quia vero mandatis ejus statim non est satisfactum, Valeria, ut eum vixisse tum cognovit, quum necari jussus erat, comitatui se Licinii miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur*. Bun. autem hanc dat lectionem: *ut eum vix esse cognovit* id est: simul atque cognovit Licinium victorem ivisse, sive profectum esse mutato habitu &c. elige quam mavis, quum desit unde genuinam demonstrare possimus lectionem.

b *Quia Nicomediæ*. Omnino legendum videtur: *qui*, scilicet Candidianus: Tollius, & Columbus: *qui quia*: exhibent.

haberi videbatur, nihil tale metuens occisus est. Et illa [c] exitu ejus audito, protinus fugit.

c *Et illa*. Forsan: *At illa*, nempe Valeria.

4. Idem Severi filium Severianum [a], jam ætate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie secutus, tanquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiæ subjectum interemit.

a *Idem Severi Filium Severianum*. Altum de hoc Severi filio apud historicos silentium est.

5. Qui omnes Licinium jam pridem quasi malum [a] metuentes, cum Maximino esse maluerant, præ Valeria [b], quæ nolens Licinio [c] in omnes Maximiani hæreditates jure suo cedere, idem Maximino negaverat.

a *Quasi malum*. Al. *quasi æmulum*. Tollius *quasi iratum*.

b *Præ Valeria*. Id est: *præter Valeriam*.

c *Quæ volens Licinio*. In Ms. *que volenti Licinio*. Al. legere malunt: *quæ nolens*: servandum censeo Ms. lectionem, quam sic expono: *quæ negaverat cedere juri suo in omnes Galerii Maximiani, viri sui, hæreditates, tam Licinio id volenti, quam Maximino idem cum nuptiis ejus optanti*. Vide Nourrium pag. 362., & 364. Primæ suæ Diss. In Ms. pro *in omnes* legitur *in omnia*: ex Anonym. & Lingletio.

6. Ipsius quoque Maximini filium natu maximum [a] agentem annos octo [b], & filiam sep-

a *Maximini filium natu maximum*. Τὸ *suum* heic redundat, ideo lege *natu maximum*: cum Gale; vel cum Tollio *filium tum maxime agentem*, aut cum Heum. *Filium*

septennem [c], quæ desponsa fuerat Candidiano [d] exstinxit. Sed prius mater eorum [e] in Orontem præcipitata est [f]: ibi sæpe illa castas fæminas mergi jusserat [g].

lium tum Maximum. Aliquando putabam scriptum in Codice fuisse: *Filium Spūm* Scilicet *Spurium* per notam inusitatam Librarii, ideoque male intellectam à lectoribus. Addo nunc aliam conjecturam, & legendum suspicor: *Filium unicum Maximum* scilicet cui nomen erat *Maximus*, & unicus.

b *Agentem in annis octo*. Gale, Tollius, Cellarius, & alii nonnulli legunt: *agentem annos octo*; *sed miror*, inquit; *Heumannus, Cellario probari correctionem Galei*; *non enim Latini dicunt agere annos octo*; *sed annum octavum* nec Lactantii ætate, solummodo, ut observavit Bunem. scriptores hac locutione usi sunt. E. g. Julius Capitolinus in M. Antonino Philosoph. cap. v. *decem & octo annos agens*. Sic in Gordiano tertio cap. XXII. sic in tribus Gordanis cap. XV. Nam longe ante hac eadem phrasi usus est ubi ait: Plinius lib XIV. cap. I. *A Virgilii vatis obitu xc. aguntur anni*.

c *Et filiam septennem*. Cujus nomen frustra hactenus quæsitum est.

d *Quæ desponsa fuerat Candidiano*. Hic ut cap. XX. narratur, erat novennis quum Galerius Pater ejus dictus fuit Augustus.

e *Sed prius Mater eorum*. Nempe Candidiani, & filiæ Maximini septenis, cujus nomen, & genus ignota penitus sunt. In Ms. sic scriptum esse testatur Anonym. *Matrem* ter eadem manu.

f *In Orientem præcipitata est*. Vossius, Allixius, Interpres Anglus, & fere omnes Critici legendum jubent: *In Orontem*, Mediæ, ac Syriæ ex Monte Libano flumen Maximum profluens, multisque urbibus irrigatis, inter quas Antiochia, quam interfluit, ad Seleuciam Pieriam in Syrium pelagus dilabitur. De eo Ovidius lib. I. Metam. p. 57. v. 9.

Arsit & Euphrates Babilonius, arsit Orontes.

g *Ibi sæpe illa casta feminas mergi jusserat*. Quidam corrigunt: *Ibi sæpe ille*. Scilicet Maximinus ex superiori cap. XXXVII. Al. pro *Ibi* legunt *ubi* cap. XV., & XXXVII. etiam de hac in aquis mersione tempore Persecutionis mentio fit.

7. Sic omnes impii vero, & justo judicio DEI eadem, quæ fecerant, receperunt.

CA-

CAPUT LI.

1. VAleria quoque, per varias provincias quindecim mensibus [a] plebejo cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam [b] cognita, comprehensa cum matre, pœnas dedit [c].

a *Quindecim mensibus.* Ex quo scilicet in exilium pulsa fuerat a Maximino, ut cap. xxxix. dictum est.

b *Apud Thessalonicam:* Urbs Macedoniæ olim clarissima, *Therma* aliquando dicta quamvis à Thessalonica, Cassandri Regis uxore, Philippi Macedonis filia, & Alexandri Magni sorore, nomen, & Urbis formam acceperit. Inter illustres Cives suos habuit Eustathium, Homeri, ac Dionysii Alexandrini interpretem, Constantinum Hermenopolum, Demetrium Cydonium; & Theodorum Gazam. Septem Mensium spatio ibidem exulavit Cicero, quum per Clodii factionem Roma, Italiaque pulsus fuit. Ibidem denique S. Apostolus Paulus, Christi Domini fidem docuit, & quamvis inde expulsus Judæorum seditione fuerit, duabus tamen postea epistolis ad fideles Thessalonicenses datis, eos in veritate firmavit. Hodie *Salonichio* Emporium satis celebre.

c *Cum Matre pœnas dedit.* Scilicet cum Prisca, Diocletiani uxore, de qua Cap. xv. & xxx. egimus. Quum heic legis pænas dedisse, non ob aliquid crimen per calumniam impactum intelligas; sed conditione, quia scilicet de stirpe fuerant Tyrannorum, quæ omnino erat disperdenda, ne seditionibus locus ullus superesset.

2. Ductæ igitur mulieres cum ingenti spectaculo, & miseratione tanti casus ad supplicium; & amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia, & conditio exitio fuit [a]. CA-

a *Ita illis pudicitia, & conditio exitio fuit.* Scilicet Pudicitia sub Maximino, qui eas in exilium relegavit: *Conditio* sub Licinio, qui eas capite immi-nuit. In Ms. *Ita illic* ex Anonymo, *conditioni* ex Nourio.

CAPUT LII.

1. QUæ omnia secundum fidem scientium loquor [a]; ita ut gesta sunt [b] mandanda litteris credidi; ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset, corrumperet veritatem [c], vel peccata illorum [d] adversum DEUM, vel judicium DEI adversus illos reticendo,

a *Quæ omnia secundum fidem scientium loquor*: Sic edidit Baluzius: Sed nescio qua authoritate, & ratione, quum in Ms., testibus Nourrio, Anonymo, & Langletio etiamnum legatur: *Quæ omnia secundum finem, scienti enim loquor*, Loquebatur enim donato illi, qui ex Cap. XVI. omni exceptione harum rerum testis erat. Audacius tentavit lectionem hanc corrumpere Heum. quum ait: deleto verbo *loquor*. lego: *Quæ omnia secundum fidem, & scientiam ita* &c. Tò *finem* secundum quem hæc a Lactantio supersunt, ille idem est, propter quem librum de *Ira Dei* conscripsit, nimirum ut ostenderet, Deum in impios justissime irasci, & non solum in futura, sed etiam in hac vita eos plerumque pœnis meritis afficere.

b *Ita, ut gesta sunt*: Boherellus supplet, & vel *atque ita, ut* &c.

c *Non corrumperet veritatem*: Boherellus mallet, Tò *non* abesse Lact. lib.III. cap.1. *veritas*, ait, *ornamentis extrinsecus additis, fucata corrumpitur*.

d *Peccata illorum* In Ms. *specta illorum* Nourrius *Adversus* In Ms. *adversos* ex Anonym. & Langlet.

2. Cujus æternæ pietati [a] gratias agere debemus, qui tandem respexit in terram [b], quod

a *Cujus æternæ pietati* Sic lib. IV. cap. XVII. *pro æterna sua pietate* In Ms. *pietatis* ex Anonym. Heum. *paternæ*,

b *Qui tandem respexit in terram*: Heum. *quod tandem* supra Cap. V. *Respexit enim Deus vexationem populi sui*:

quod gregem suum partim vastatum a lupis rapacibus, partim vero dispersum, reficere, ac recolligere dignatus est, & bestias malas exstirpare [c], quæ divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant.

c *Et Bestias malas extirpare*: Scilicet Persecutores, & Tyrannus.

3. Ubi sunt modo magnifica illa [a], & clara per gentes Joviorum, & Herculiorum [b] cognomina, quæ primum a Dioclete, ac Maximiano insolenter adsumpta, ac postmodum ad successores eorum translata viguerunt

a *Ubi sunt modo magnifica illa*: In Ms. *magnificentia illa*.

b *Joviorum. & Herculiorum*: Cognomina Diocletiani, ac Maximiani collegæ sui, & quamvis Cuperus dicat etiam Licinium, & Constantinum hujusmodi cognominibus insignitos fuisse, non tamen post victoriam de Maxentio reportatam, id contigisse intelligendum est; quum nullibi sive in statuis, sive in inscriptionibus illa appareant cognomina, præterquam in nummo illo Norisiano, ac in Panegyrico incerti, quæ potius Subditorum Ethnicorum adulatio fuit, quam Imperatorum istorum affectata præsumptio. Quod de Constantino asseveranter dico; quum de eo hæc afferat dumtaxat Author Panegyrici n. VIII. *Nunc enim sequitur, ut, quoniam virtutes tuas, Constantine Auguste, Socero prædicavi, tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas. Hic est, qui nomen, quod accepit a Deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed paribus virtutibus comprobavit.* De Licinio vero, quum in duobus solummodo nummis, in quibus ambo Licinii pater scilicet, & filius representantur cum Inscri ione DD. NN. Jovii Licinii invict. Aug. & Caes. S. M. K. A. Scilicet *signata aut Sacra moneta Kartagine officina prima* jam conjicio hocce nomen sumpsisse postquam a Constantino defecerat, & Liber iste vulgatus fuerat.

runt [c] ? nempe delevit ea [d] Dominus, & erasit de terra.

c *Viguerunt* Langletius: *viluerunt*: non male. d *Delevit ea*: In Ms. *eam* Lact. lib. v. cap. VIII. *cujus nomen . . . . de familia delevit*.

4. Celebremus [a] igitur triumphum DEI cum exultatione; victoriam Domini cum laudibus frequentemus; diurnis nocturnisque precibus celebremus, ut pacem post annos decem plebi suæ [b] datam, confirmet in sæculum.

a *Precibus celebremus*; In Ms bis cum diphtongo: *Caelebremus*; sed forte legendum: *obsecremus*, vel *deprecemur*. b *Plebi suæ* In Ms. *plebis sua* ex Anonym.

5. Tu præcipue, Donate charissime, qui a DEO [a] mereris audiri, Dominum deprecare, ut misericordiam suam servet, etiam [b] famulis suis propitius, ac mitis, ut omnes insidias, atque impetus diaboli a populo suo arceat, ut florescentes Ecclesias perpetua quiete custodiat [c].

a *Qui à Deo* In Ms. *qui adeo* ex eodem Anonym. b *Servet etiam* In Ms. *serret atam*: quod alii explicant *æternam*: Al. *etiam atque etiam* Heum. & *maneat*. c *Florescentes Ecclesias perpetua quiete custodiat*. Sic ex Ms. legit Baluzius, qui postea emendavit: *florentes Ecclesias* quamvis Grævius malit: *florentes Ecclesia perpetuam quietem custodiat*.

FINIS.